

30.1.20

# SCRIPTORES LATINI

EDIDIT  
ANTON HÄRMA

I

Est. A-9593

Ant. Vekerm  
V. 6. r. l.

# SCRIPTORES LATINI

EDIDIT  
ANTON HÄRMA  
1939

TARTU ÜHISKOLA  
RAAMATUKOGI

2. chs

TARTU ÜLIKOOLI  
RAAMATUKOGU

K. Mattieseni trükikoda o./ü., Tartu, 1939.

C. IULIUS CAESAR

COMMENTARII  
DE BELLO GALLICO.  
LIBER I.

I. Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam<sup>1</sup> incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua, institutis,<sup>2</sup> legibus inter se differunt.

Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dividit.

Horum omnium fortissimi sunt Belgae, propterea quod<sup>3</sup> a cultu atque humanitate provinciae longissime absunt, minimeque ad eos mercatores saepe comitant atque ea, quae ad effeminandos animos pertinent, important, proximique sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt. Qua de causa Helvetii quoque reliquos Gallos<sup>4</sup> virtute praecedunt, quod fere cotidianis proeliis cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt.

Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium<sup>5</sup> capit a flumine Rhodano; continetur Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum; attingit etiam ab Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum; vergit ad septentriones.

Belgae ab extremis Galliae finibus oriuntur, pertinent ad<sup>6</sup> inferiorem partem fluminis Rheni, spectant in septentrionem et orientem solem.

Aquitania a Garumna flumine ad Pyrenaeos montes et<sup>7</sup> eam partem Oceani, quae est ad Hispaniam, pertinet; spectat inter occasum solis et septentriones.

II. Apud Helvetios longe nobilissimus fuit et ditissimus<sup>1</sup> 2 Orgetorix. Is M. Messala et M. Pisone consulibus regni cupi-

ditate inductus coniurationem nobilitatis fecit et civitati per-  
2suasit, ut de finibus suis cum omnibus copiis exirent: perfa-  
cile esse, cum virtute omnibus praestarent, totius Galliae  
3imperio potiri. Id hoc facilius eis persuasit, quod undique  
loci natura Helvetii continentur: una ex parte flumine Rheno  
latissimo atque altissimo, qui agrum Helvetium a Germanis  
dividit; altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter  
4Sequanos et Helvetios; tertia lacu Lemanno et flumine  
Rhodano, qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit. His  
rebus fiebat, ut et minus late vagarentur et minus facile fini-  
timis bellum inferre possent; qua ex parte homines bellandi  
5cupidi magno dolore afficiebantur. Pro multitudine autem  
hominum et pro gloria belli atque fortitudinis angustos se  
fines habere arbitrabantur, qui in longitudinem milia passuum  
CCXL, in latitudinem CLXXX patebant.

3 1 III. His rebus adducti et auctoritate Orgetorigis permoti  
constituerunt ea, quae ad proficiscendum pertinerent, compa-  
rare, iumentorum et carrorum quam maximum numerum  
coëmere, sementes quam maximas facere, ut in itinere copia  
frumenti suppeteret, cum proximis civitatibus pacem et  
2amicitiam confirmare. Ad eas res conficiendas biennium  
sibi satis esse duxerunt: in tertium annum profectionem  
lege confirmant.

3 Ad eas res conficiendas Orgetorix deligitur. Is sibi  
4legationem ad civitates suscepit. In eo itinere persuadet  
Castico, Catamantaloedis filio, Sequano, cuius pater regnum  
in Sequanis multos annos obtinuerat et a senatu populi  
Romani amicus appellatus erat, ut regnum in civitate sua  
5occuparet, quod pater ante habuerat; itemque Dumnorigi  
Aeduo, fratri Divitiaci, qui eo tempore principatum in civi-  
tate obtinebat ac maxime plebi acceptus erat, ut idem conare-  
6tur, persuadet eique filiam suam in matrimonium dat. Per-  
facile factu esse illis probat conata perficere, propterea quod  
ipse suae civitatis imperium obtenturus esset: non esse dubium,  
7quin totius Galliae plurimum Helvetii possent; se suis copiis  
8suoque exercitu illis regna conciliaturum confirmat. Hac ora-  
tione adducti inter se fidem et ius iurandum dant et regno

occupato per tres potentissimos ac firmissimos populos totius Galliae sese potiri posse sperant.

IV. Ea res est Helvetiis per indicium enuntiata. Moribus<sup>1</sup> 4 suis Orgetorigem ex vinclis causam dicere coëgerunt. Damnatum poenam sequi oportebat, ut igni cremaretur. Die consti-<sup>2</sup> tuta causae dictionis Orgetorix ad iudicium omnem suam familiam, ad hominum milia decem, undique coëgit et omnes clientes obaeratosque suos, quorum magnum numerum habebat, eodem conduxit; per eos, ne causam diceret, se eripuit. Cum civitas ob eam rem incitata armis ius suum exsequi cona-<sup>3</sup> retur multitudinemque hominum ex agris magistratus cogèrent, Orgetorix mortuus est; neque abest suspicio, ut Helvetii<sup>4</sup> arbitrantur, quin ipse sibi mortem consciverit.

V. Post eius mortem nihilo minus Helvetii id, quod con-<sup>1</sup> 5 stituerant, facere conantur, ut e finibus suis exeant. Ubi iam<sup>2</sup> se ad eam rem paratos esse arbitrati sunt, oppida sua omnia, numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliqua privata aedificia incendunt, frumentum omne, praeterquam quod<sup>3</sup> secum portaturi erant, comburunt, ut domum reditionis spe sublata paratiores ad omnia pericula subeunda essent; trium mensium molita cibaria sibi quemque domo efferre iubent. Per-<sup>4</sup> suadent Rauricis et Tulingis et Latovicis finitimis, uti eodem usu consilio oppidis suis vicisque exustis una cum iis profici-  
scantur, Boiosque, qui trans Rhenum incoluerant et in agrum Noricum transierant Noreiamque oppugnarant, receptos ad se socios sibi asciscunt.

VI. Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo<sup>1</sup> 6 exire possent: unum per Sequanos, angustum et difficile, inter montem Iuram et flumen Rhodanum, vix qua singuli carri ducerentur, mons autem altissimus impendebat, ut facile perpauci prohibere possent; alterum per provinciam nostram,<sup>2</sup> multo facilius atque expeditius, propterea quod inter fines Helvetiorum et Allobrogum, qui nuper pacati erant, Rhodanus fluit, isque nonnullis locis vado transitur. Extremum oppidum Allo-<sup>3</sup> brogum est proximumque Helvetiorum finibus Genava. Ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet. Allobrogibus sese vel persuasuros, quod nondum bono animo in populum Romanum viderentur, existimabant, vel vi coacturos, ut per suos fines

4 eos ire paterentur. Omnibus rebus ad profectionem comparatis diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant. Is dies erat a. d. V Kal. Apr. L. Pisone, A. Gabinio consulibus.

7 <sup>1</sup> VII. Caesari cum id nuntiatum esset, eos per provinciam nostram iter facere conari, maturat ab urbe proficisci et quam maximis potest itineribus in Galliam ulteriorem <sup>2</sup> contendit et ad Genavam pervenit. Provinciae toti quam maximum potest militum numerum imperat (erat omnino in Gallia ulteriore legio una), pontem, qui erat ad Genavam, <sup>3</sup> iubet rescindi. Ubi de eius adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt nobilissimos civitatis, cuius legationis Nammeius et Verucloetius principem locum obtinebant, qui dicerent sibi esse in animo sine ullo maleficio iter per provinciam facere, propterea quod aliud iter haberent <sup>4</sup> nullum: rogare, ut eius voluntate id sibi facere liceat. Caesar, quod memoria tenebat L. Cassium consulem occisum exercitumque eius ab Helvetiis pulsum et sub iugum missum, <sup>5</sup> cedendum non putabat; neque homines inimico animo data facultate per provinciam itineris faciendi temperaturos ab <sup>6</sup> iniuria et maleficio existimabat; tamen, ut spatium intercedere posset, dum milites, quos imperaverat, convenirent, legatis respondit diem se ad deliberandum sumpturum: si quid vellent, ad Idus Apriles reverterentur.

8 <sup>1</sup> VIII. Interea ea legione, quam secum habebat, militibusque, qui ex provincia convenerant, a lacu Lemanno, qui in flumen Rhodanum influit, ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, milia passuum decem novem murum in altitudinem pedum sedecim fossamque <sup>2</sup> perducit. Eo opere perfecto praesidia disponit, castella communit, quo facilius, si se invito transire conarentur, <sup>3</sup> prohibere possit. Ubi ea dies, quam constituerat cum legatis, venit et legati ad eum reverterunt, negat se more et exemplo populi Romani posse iter ulli per provinciam dare <sup>4</sup> et, si vim facere conentur, prohibitorium ostendit. Helvetii ea spe deiecti navibus iunctis ratibusque compluribus factis, alii vadis Rhodani, qua minima altitudo fluminis erat, nonnumquam interdum, saepius noctu, si perrumpere possent,

conati, operis munitione et militum concursu et telis repulsi hoc conatu destiterunt.

IX. Relinquebatur una per Sequanos via, qua Sequanis <sup>1</sup> 9 invitis propter angustias ire non poterant. His cum sua <sup>2</sup> sponte persuadere non possent, legatos ad Dumnorigem Aedu-  
dum mittunt, ut eo deprecatore a Sequanis impetrarent. Dumnorix gratia et largitione apud Sequanos plurimum pote-<sup>3</sup>  
rat et Helvetiis erat amicus, quod ex ea civitate Orgetorigis filiam in matrimonium duxerat, et cupiditate regni adductus novis rebus studebat et quam plurimas civitates suo beneficio habere obstrictas volebat. Itaque rem suscipit et a Sequanis <sup>4</sup> impetrat, ut per fines suos Helvetios ire patiantur, obsidesque uti inter sese dent, perficit: Sequani, ne itinere Helvetios prohibeant, Helvetii, ut sine maleficio et iniuria transeant.

X. Caesari renuntiatur Helvetiis esse in animo per <sup>1</sup> 10 agrum Sequanorum et Aeduorum iter in Santonum fines facere, qui non longe a Tolosatium finibus absunt, quae civitas est in provincia. Id si fieret, intellegebat magno cum periculo <sup>2</sup> provinciae futurum, ut homines bellicosos, populi Romani inimicos, locis patentibus maximeque frumentariis finitimos haberet. Ob eas causas ei munitioni, quam fecerat, T. Labie-<sup>3</sup>  
num legatum praefecit; ipse in Italiam magnis itineribus contendit duasque ibi legiones conscribit et tres, quae circum Aquileiam hiemabant, ex hibernis educit et, qua proximum iter in ulteriorem Galliam per Alpes erat, cum his quinque legionibus ire contendit. Ibi Ceutrones et Graioceli et <sup>4</sup> Caturiges locis superioribus occupatis itinere exercitum prohibere conantur. Compluribus his proeliis pulsus ab Ocelo, <sup>5</sup> quod est citerioris provinciae extremum, in fines Vocontiorum ulterioris provinciae die septimo pervenit; inde in Allobrogum fines, ab Allobrogibus in Segusiavos exercitum ducit. Hi sunt extra provinciam trans Rhodanum primi.

XI. Helvetii iam per angustias et fines Sequanorum <sup>1</sup> 11 suas copias traduxerant et in Aeduorum fines pervenerant eorumque agros populabantur. Aedui, cum se suaque ab iis <sup>2</sup> defendere non possent, legatos ad Caesarem mittunt rogatum auxilium: Ita se omni tempore de populo Romano meritos <sup>3</sup> esse, ut paene in conspectu exercitus nostri agri vastari,

liberi eorum in servitutem abduci, oppida expugnari non  
4 debuerint. Eodem tempore Ambarri, necessarii et consanguine  
5 i Aeduorum, Caesarem certiores faciunt sese depopulatis agris non facile ab oppidis vim hostium prohibere. Item  
6 Allobroges, qui trans Rhodanum vicis possessionesque habebant, fuga se ad Caesarem recipiunt et demonstrant sibi  
6 praeter agri solum nihil esse reliqui. Quibus rebus adductus Caesar non exspectandum sibi statuit, dum omnibus fortunis sociorum consumptis in Santonos Helvetii pervenirent.

12 1 XII. Flumen est Arar, quod per fines Aeduorum et Sequanorum in Rhodanum influit, incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, iudicari non possit. Id  
2 Helvetii ratibus ac lintribus iunctis transibant. Ubi per exploratores Caesar certior factus est tres iam partes copiarum Helvetios id flumen traduxisse, quartam fere partem  
3 citra flumen Ararim reliquam esse, de tertia vigilia cum legionibus tribus e castris profectus ad eam partem pervenit, quae nondum flumen transierat. Eos impeditos et  
4 inopinantes aggressus magnam partem eorum concidit; reliqui sese fugae mandarunt atque in proximas silvas abdiderunt. Is pagus appellabatur Tigurinus; nam omnis civitas  
5 Helvetia in quattuor pagos divisa est. Hic pagus unus, cum domo exisset patrum nostrorum memoria, L. Cassium consulem interfecerat et eius exercitum sub iugum miserat.  
6 Ita sive casu sive consilio deorum immortalium, quae pars civitatis Helvetiae insignem calamitatem populo Romano  
7 intulerat, ea princeps poenas persolvit. Qua in re Caesar non solum publicas, sed etiam privatas iniurias ultus est, quod eius soceri L. Pisonis avum, L. Pisonem legatum, Tigurini eodem proelio, quo Cassium, interfecerant.

13 1 XIII. Hoc proelio facto reliquas copias Helvetiorum ut consequi posset, pontem in Arare faciendum curat atque  
2 ita exercitum traducit. Helvetii repentino eius adventu commoti, cum id, quod ipsi diebus XX aegerrime confecerant, ut flumen transirent, illum uno die fecisse intellexerent, legatos ad eum mittunt; cuius legationis Divico princeps  
3 fuit, qui bello Cassiano dux Helvetiorum fuerat. Is ita cum

Caesare egit: Si pacem populus Romanus cum Helvetiis faceret, in eam partem ituros atque ibi futuros Helvetios, ubi eos Caesar constituisset atque esse voluisset; sin bello 4 persequi perseveraret, reminisceretur et veteris incommodi populi Romani et pristinae virtutis Helvetiorum. Quod impro- 5 viso unum pagum adortus esset, cum ii, qui flumen transissent, suis auxilium ferre non possent, ne ob eam rem aut suae magnopere virtuti tribueret aut ipsos despiceret. Se 6 ita a patribus maioribusque suis didicisse, ut magis virtute contenderent, quam dolo aut insidiis niterentur. Quare ne 7 committeret, ut is locus, ubi constitissent, ex calamitate populi Romani et interneccione exercitus nomen caperet aut memoriam proderet.

XIV. His Caesar ita respondit: Eo sibi minus dubi- 1 14 tationis dari, quod eas res, quas legati Helvetii commemorassent, memoria teneret; atque eo gravius ferre, quo minus merito populi Romani accidissent; qui si alicuius 2 iniuriae sibi conscius fuisset, non fuisse difficile cavere; sed eo deceptum, quod neque commissum a se intellexeret, quare timeret, neque sine causa timendum putaret. Quod si veteris 3 contumeliae oblivisci vellet, num etiam recentium iniuriarum, quod eo invito iter per provinciam per vim temptassent, quod Aeduos, quod Ambarros, quod Allobrogas vexassent, memoriam deponere posse? Quod sua victoria tam insolenter 4 gloriarentur quodque tam diu se impune iniurias tulisse admirarentur, eodem pertinere. Consuesse enim deos immor- 5 tales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiore interdum res et diuturniorem impunitatem concedere. Cum ea 6 ita sint, tamen, si obsides ab iis sibi dentur, uti ea, quae polliceantur, facturos intellegat, et si Aeduis de iniuriis, quas ipsis sociisque eorum intulerint, item si Allobrogibus satisfaciant, sese cum iis pacem esse facturum. Divico respondit: 7 Ita Helvetios a maioribus suis institutos esse, uti obsides accipere, non dare consuerint; eius rei populum Romanum esse testem. Hoc responso dato discessit.

XV. Postero die casta ex eo loco movent. Idem facit 1 15 Caesar equitatumque omnem, ad numerum quattuor milium,

quem ex omni provincia et Aeduis atque eorum sociis coactum habebat, praemittit, qui videant, quas in partes hostes iter  
2 faciant. Qui cupidius novissimum agmen insecuti alieno loco cum equitatu Helvetiorum proelium committunt, et pauci  
3 de nostris cadunt. Quo proelio sublatis Helvetii, quod quingentis equitibus tantam multitudinem equitum propulerant, audacius subsistere nonnumquam et novissimo agmine  
4 proelio nostros lacessere coeperunt. Caesar suos a proelio continebat ac satis habebat in praesentia hostem rapinis,  
5 pabulationibus populationibusque prohibere. Ita dies circiter quindecim iter fecerunt, uti inter novissimum hostium agmen et nostrum primum non amplius quinque aut sex milibus passuum interesset.

16 1 XVI. Interim cotidie Caesar Aeduos frumentum,  
2 quod essent publice polliciti, flagitare. Nam propter frigora, quod Gallia sub septentrionibus, ut ante dictum est, posita est, non modo frumenta in agris matura non erant, sed ne  
3 pabuli quidem satis magna copia suppetebat; eo autem frumento, quod flumine Arare navibus subvexerat, propterea uti minus poterat, quod iter ab Arare Helvetii averterant,  
4 a quibus discedere volebat. Diem ex die ducere Aedui: conferri, comportari, adesse dicere. Ubi se diutius duci intellexit et diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret, convocatis eorum principibus, quorum magnam copiam in castris habebat, in his Divitiaco et Lisco, qui summo magistratui praeerat, quem vergobretum appellant Aedui, qui creatur annuus et vitae necisque in  
5 suos habet potestatem, graviter eos accusat, quod, cum neque emi neque ex agris sumi possit, tam necessario tempore, tam propinquis hostibus ab iis non sublevetur, praesertim cum magna ex parte eorum precibus adductus bellum susceperit; multo etiam gravius, quod sit destitutus, queritur.

17 1 XVII. Tum demum Liscus oratione Caesaris adductus, quod antea tacuerat, proponit: Esse nonnullos, quorum auctoritas apud plebem plurimum valeat, qui privatim plus  
2 possint quam ipsi magistratus. Hos seditiosa atque improba oratione multitudinem deterrere, ne frumentum con-

ferant, quod debeant: praestare, si iam principatum Galliae<sup>3</sup> obtinere non possint, Gallorum quam Romanorum imperia perferre; neque dubitare, quin, si Helvetios superaverint<sup>4</sup> Romani, una cum reliqua Gallia Aeduis libertatem sint erepturi. Ab eisdem nostra consilia, quaeque in castris gerantur,<sup>5</sup> hostibus enuntiari: hos a se coërceri non posse. Quin etiam, quod necessariam rem coactus Caesari enuntiarit, intellegere sese, quanto id cum periculo fecerit, et ob eam causam, quam diu potuerit, tacuisse.

XVIII. Caesar hac oratione Lisci Dumnorigem, Divi-<sup>1</sup> 18  
tiaci fratrem, designari sentiebat, sed, quod pluribus praesentibus eas res iactari nolebat, celeriter concilium dimittit, Liscum retinet. Quaerit ex solo ea, quae in conventu dixerat.<sup>2</sup> Dicit liberius atque audacius. Eadem secreto ab aliis quaerit; reperit esse vera: Ipsum esse Dumnorigem, summa audacia,<sup>3</sup> magna apud plebem propter liberalitatem gratia, cupidum rerum novarum; complures annos portoria reliquaque omnia Aeduorum vectigalia parvo pretio redempta habere, propterea quod illo licente contra liceri audeat nemo. His rebus et<sup>4</sup> suam rem familiarem auxisse et facultates ad largiendum magnas comparasse; magnum numerum equitatus suo sumptu<sup>5</sup> semper alere et circum se habere, neque solum domi, sed etiam<sup>6</sup> apud finitimas civitates largiter posse, atque huius potentiae causa matrem in Biturigibus homini illic nobilissimo ac potentissimo collocasse, ipsum ex Helvetiis uxorem habere, sororem<sup>7</sup> ex matre et propinquas suas nuptum in alias civitates collocasse. Favere et cupere Helvetiis propter eam affinitatem,<sup>8</sup> odisse etiam suo nomine Caesarem et Romanos, quod eorum adventu potentia eius deminuta et Divitiacus frater in antiquum locum gratiae atque honoris sit restitutus. Si quid accidat Ro-<sup>9</sup> manis, summam in spem per Helvetios regni obtinendi venire; imperio populi Romani non modo de regno, sed etiam de ea, quam habeat, gratia desperare. Reperiebat etiam in quaerendo<sup>10</sup> Caesar, quod proelium equestre adversum paucis ante diebus esset factum, initium eius fugae factum a Dumnorige atque eius equitibus (nam equitatus, quem auxilio Caesari Aedui miserant, Dumnorix praeerat); eorum fuga reliquum esse equitatum perterritum.

19 <sup>1</sup> XIX. Quibus rebus cognitis, cum ad has suspiciones certissimae res accederent, quod per fines Sequanorum Helvetios traduxisset, quod obsides inter eos dandos curasset, quod ea omnia non modo iniussu suo et civitatis, sed etiam inscientibus ipsis fecisset, quod a magistratu Aeduorum accusaretur, satis esse causae arbitratur, quare in eum aut ipse animadverteret aut civitatem animadvertere iuberet.  
<sup>2</sup> His omnibus rebus unum repugnabat, quod Divitiaci fratris summum in populum Romanum studium, summam in se voluntatem, egregiam fidem, iustitiam, temperantiam cognoverat; nam, ne eius supplicio Divitiaci animum offenderet,  
<sup>3</sup> verebatur. Itaque prius, quam quicquam conaretur, Divitiacum ad se vocari iubet et cotidianis interpretibus remotis per C. Valerium Procillum, principem Galliae provinciae, familiarem suum, cui summam omnium rerum fidem habebat, cum eo  
<sup>4</sup> colloquitur; simul commonefacit, quae ipso praesente in concilio Gallorum de Dumnorige sint dicta, et ostendit, quae  
<sup>5</sup> separatim quisque de eo apud se dixerit. Petit atque hortatur, ut sine eius offensione animi vel ipse de eo causa cognita statuat vel civitatem statuere iubeat.

20 <sup>1</sup> XX. Divitiacus multis cum lacrimis Caesarem complexus obsecrare coepit, ne quid gravius in fratrem statueret:  
<sup>2</sup> scire se illa esse vera, nec quemquam ex eo plus quam se doloris capere, propterea quod, cum ipse gratia plurimum domi atque in reliqua Gallia, ille minimum propter adulescentiam posset, per se crevisset; quibus opibus ac nervis non solum ad minuendam gratiam, sed paene ad perniciem suam uteretur.  
<sup>3</sup> Sese tamen et amore fraterno et existimatione vulgi commoveri. Quod si quid ei a Caesare gravius accidisset, cum ipse eum locum amicitiae apud eum teneret, neminem existimatum non sua voluntate factum; qua ex re futurum, uti totius  
<sup>5</sup> Galliae animi a se averterentur. Haec cum pluribus verbis flens a Caesare peteret, Caesar eius dextram prendit; consolatus rogat, finem orandi faciat; tanti eius apud se gratiam esse ostendit, uti et rei publicae iniuriam et suum dolorem eius  
<sup>6</sup> voluntati ac precibus condonet. Dumnorigem ad se vocat, fratrem adhibet; quae in eo reprehendat, ostendit; quae ipse intellegat, quae civitas queratur, proponit; monet, ut in reli-

quum tempus omnes suspiciones vitet; praeterita se Divitiaco fratri condonare dicit. Dumnorigi custodes ponit, ut, quae agat, quibuscum loquatur, scire possit.

XXI. Eodem die ab exploratoribus certior factus hostes <sup>1</sup> 21 sub monte consedissee milia passuum ab ipsius castris octo, qualis esset natura montis et qualis in circuitu ascensus, qui cognoscerent, misit. Renuntiatum est facilem esse. De tertia <sup>2</sup> vigilia Titum Labienum, legatum pro praetore, cum duabus legionibus et iis ducibus, qui iter cognoverant, summum iugum montis ascendere iubet; quid sui consilii sit, ostendit. Ipse de <sup>3</sup> quarta vigilia eodem itinere, quo hostes ierant, ad eos contendit equitatumque omnem ante se mittit. P. Considius, qui rei mili- <sup>4</sup> tatis peritissimus habebatur et in exercitu L. Sullae et postea in M. Crassi fuerat, cum exploratoribus praemittitur.

XXII. Prima luce, cum summus mons a T. Labieno tene- <sup>1</sup> 22 retur, ipse ab hostium castris non longius mille et quingentis passibus abesset, neque, ut postea ex captivis comperit, aut ipsius adventus aut Labieni cognitus esset, Considius equo <sup>2</sup> admissis ad eum accurrit, dicit montem, quem a Labieno occupari voluerit, ab hostibus teneri: id se a Gallicis armis atque insignibus cognovisse. Caesar suas copias in proximum collem <sup>3</sup> subducit, aciem instruit. Labienus, ut erat ei praeceptum a Caesare, ne proelium committeret, nisi ipsius copiae prope hostium castra visae essent, ut undique uno tempore in hostes impetus fieret, monte occupato nostros exspectabat proelioque abstinabat. Multo denique die per exploratores Caesar cognovit et <sup>4</sup> montem a suis teneri et Helvetios castra movisse et Considium timore perterritum, quod non vidisset, pro viso sibi renuntiavisse. Eo die, quo consuerat intervallo, hostes sequitur <sup>5</sup> et milia passuum tria ab eorum castris castra ponit.

XXIII. Postridie eius diei, quod omnino biduum supere- <sup>1</sup> 23 rat, cum exercitui frumentum metiri oporteret, et quod a Bibracte, oppido Aeduorum longe maximo et copiosissimo, non amplius milibus passuum XVIII aberat, rei frumentariae prospiciendum existimavit: iter ab Helvetiis avertit ac Bibracte ire contendit. Ea res per fugitivos L. Aemilii, decu- <sup>2</sup> rionis equitum Gallorum, hostibus nuntiatur. Helvetii, seu quod <sup>3</sup> timore perterritos Romanos discedere a se existimarent, eo

magis, quod pridie superioribus locis occupatis proelium non commisissent, sive eo, quod re frumentaria intercludi posse confiderent, commutato consilio atque itinere converso nostros a novissimo agmine insequi ac lacescere coeperunt.

24 <sup>1</sup> XXIV. Postquam id animum advertit, copias suas Caesar in proximum collem subduxit equitatumque, qui sustineret <sup>2</sup> hostium impetum, misit. Ipse interim in colle medio triplicem <sup>3</sup> aciem instruxit legionum quattuor veteranarum; sed in summo iugo duas legiones, quas in Gallia citeriore proxime conscripserat, et omnia auxilia collocari ac totum montem hominibus compleri et interea sarcinas in unum locum conferri et eum ab his, qui in superiore acie constiterant, muniri <sup>4</sup> iussit. Helvetii cum omnibus suis carris secuti impedimenta <sup>5</sup> in unum locum contulerunt; ipsi confertissima acie reiecto nostro equitatu, phalange facta sub primam nostram aciem successerunt.

25 <sup>1</sup> XXV. Caesar primum suo, deinde omnium ex conspectu remotis equis, ut aequato omnium periculo spem fugae tolleret, <sup>2</sup> cohortatus suos proelium commisit. Milites e loco superiore pilis missis facile hostium phalangem perfregerunt. Ea disiecta <sup>3</sup> gladiis destructis in eos impetum fecerunt. Gallis magno ad pugnam erat impedimento, quod pluribus eorum scutis uno ictu pilorum transfixis et colligatis, cum ferrum se inflexisset, neque evellere neque sinistra impedita satis commode pugnare <sup>4</sup> poterant, multi ut diu iactato bracchio praeoptarent scutum <sup>5</sup> manu emittere et nudo corpore pugnare. Tandem vulneribus defessi et pedem referre et, quod mons suberat circiter mille <sup>6</sup> passuum spatio, eo se recipere coeperunt. Capto monte et succedentibus nostris Boii et Tulingi, qui hominum milibus circiter XV agmen hostium claudebant et novissimis praesidio erant, ex itinere nostros ab latere aperto aggressi circumvenire, et id conspicati Helvetii, qui in montem sese receperant, <sup>7</sup> rursus instare et proelium redintegrare coeperunt. Romani conversa signa bipertito intulerunt: prima et secunda acies, ut victis ac summotis resisteret, tertia, ut venientes sustineret.

26 <sup>1</sup> XXVI. Ita ancipiti proelio diu atque acriter pugnatum est. Diutius cum sustinere nostrorum impetus non possent, alteri se, ut coeperant, in montem receperunt, alteri ad

impedimenta et carros suos se contulerunt. Nam hoc toto<sup>2</sup> proelio, cum ab hora septima ad vesperum pugnatum sit, aversum hostem videre nemo potuit. Ad multam noctem etiam<sup>3</sup> ad impedimenta pugnatum est, propterea quod pro vallo carros obiecerant et e loco superiore in nostros venientes tela coniciebant et nonnulli inter carros rhaedasque mataras ac tragulas subiciebant nostrosque vulnerabant. Diu cum esset pugnatum,<sup>4</sup> impedimentis castrisque nostri potiti sunt. Ibi Orgetorigis filia atque unus e filiis captus est. Ex eo proelio circiter hominum<sup>5</sup> milia CXXX superfuerunt eaque tota nocte continenter ierunt; nullam partem noctis itinere intermisso in fines Lingonum die quarto pervenerunt, cum et propter vulnera militum et propter sepulturam occisorum nostri triduum morati eos sequi non potuissent. Caesar ad Lingonas litteras nuntiosque misit, ne<sup>6</sup> eos frumento neve alia re iuvarent: qui si iuvisset, se eodem loco, quo Helvetios, habiturum. Ipse triduo intermisso cum omnibus copiis eos sequi coepit.

XXVII. Helvetii omnium rerum inopia adducti legatos<sup>1</sup> 27 de deditioe ad eum miserunt. Qui cum eum in itinere convenissent seque ad pedes proiecissent suppliciterque locuti flentes pacem petissent, atque eos in eo loco, quo tum essent, suum adventum exspectare iussisset, paruerunt. Eo postquam Cae-<sup>3</sup> sar pervenit, obsides, arma, servos, qui ad eos perfugissent, poposcit. Dum ea conquiruntur et conferuntur, nocte inter-<sup>4</sup> missa circiter hominum milia sex eius pagi, qui Verbigenus appellatur, sive timore perterriti, ne armis traditis supplicio afficerentur, sive spe salutis inducti, quod in tanta multitudine dediticiorum suam fugam aut occultari aut omnino ignorari posse existimarent, prima nocte e castris Helvetiorum egressi ad Rhenum finesque Germanorum contenderunt.

XXVIII. Quod ubi Caesar rescit, quorum per fines<sup>1</sup> 28 ierant, his, uti conquirerent et reducerent, si sibi purgati esse vellent, imperavit; reductos in hostium numero habuit, reli-<sup>2</sup> quos omnes obsidibus, armis, perfugis traditis in deditioem accepit. Helvetios, Tulingos, Latovicos in fines suos, unde erant<sup>3</sup> profecti, reverti iussit et, quod omnibus fructibus amissis domi nihil erat, quo famem tolerarent, Allobrogibus imperavit, ut iis frumenti copiam facerent; ipsos oppida vicosque, quos

4 incenderant, restituere iussit. Id ea maxime ratione fecit, quod noluit eum locum, unde Helvetii discesserant, vacare, ne propter bonitatem agrorum Germani, qui trans Rhenum incolunt, e suis finibus in Helvetiorum fines transirent et finitimi Galliae

5 provinciae Allobrogibusque essent. Boios petentibus Aeduis, quod egregia virtute erant cogniti, ut in finibus suis collocarent, concessit; quibus illi agros dederunt quosque postea in parem iuris libertatisque condicionem, atque ipsi erant, receperunt.

29 1 XXIX. In castris Helvetiorum tabulae repertae sunt litteris Graecis confectae et ad Caesarem relatae, quibus in tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exisset eorum, qui arma ferre possent, et item separatim pueri,

2 senes mulieresque. Quarum omnium rerum summa erat capitum: Helvetiorum milia CCLXIII, Tulingorum milia XXXVI, Latovicorum XIV, Rauricorum XXIII, Boiorum XXXII; ex his, qui arma ferre possent, ad milia nonaginta

3 duo. Summa omnium fuerunt ad milia CCCLXVIII. Eorum, qui domum redierunt, censu habito, ut Caesar imperaverat, repertus est numerus milium C et decem.

30 1 XXX. Bello Helvetiorum confecto totius fere Galliae legati, principes civitatum, ad Caesarem gratulatum con-

2 venerunt: Intellegere sese, tametsi pro veteribus Helvetiorum iniuriis populi Romani ab his poenas bello repetisset, tamen eam rem non minus ex usu terrae Galliae quam populi

3 Romani accidisse, propterea quod eo consilio florentissimis rebus domos suas Helvetii reliquissent, uti toti Galliae bellum inferrent imperioque potirentur locumque domicilio ex magna copia deligerent, quem ex omni Gallia opportunissimum ac fructuosissimum iudicassent, reliquasque civitates stipen-

4 diarias haberent. Petierunt, uti sibi concilium totius Galliae in diem certam indicere idque Caesaris voluntate facere liceret: sese habere quasdam res, quas ex communi consensu

5 ab eo petere vellent. Ea re permissa diem concilio constituerunt et iure iurando, ne quis enuntiaret, nisi quibus communi consilio mandatum esset, inter se sanxerunt.

31 1 XXXI. Eo concilio dimisso idem principes civitatum, qui ante fuerant, ad Caesarem reverterunt petieruntque, uti

sibi secreto (in occulto) de sua omniumque salute cum eo agere  
liceret. Ea re impetrata sese omnes flentes Caesari ad pedes 2  
proiecerunt: Non minus se id contendere et laborare, ne ea,  
quae dixissent, enuntiarentur, quam uti ea, quae vellent,  
impetrarent, propterea quod, si enuntiatum esset, summum in  
cruciatum se venturos viderent. Locutus est pro his Divitiacus 3  
Aeduus: Galliae totius factiones esse duas: harum alterius  
principatum tenere Aeduos, alterius Arvernos. Hi cum 4  
tantopere de potentatu inter se multos annos contenderent,  
factum esse, uti ab Arvernibus Sequanisque Germani mercede  
arcesserentur. Horum primo circiter milia XV Rhenum 5  
transisse; posteaquam agros et cultum et copias Gallorum  
homines feri ac barbari adamassent, traductos plures; nunc  
esse in Gallia ad centum et XX milium numerum. Cum his 6  
Aeduos eorumque clientes semel atque iterum armis con-  
tendisse; magnam calamitatem pulsos accepisse, omnem nobi-  
litem, omnem senatum, omnem equitatum amisisse. Quibus 7  
proeliis calamitatibusque fractos, qui et sua virtute et populi  
Romani hospitio atque amicitia plurimum ante in Gallia  
potuissent, coactos esse Sequanis obsides dare nobilissimos civi-  
tatis et iure iurando civitatem obstringere sese neque obsides  
repetituros neque auxilium a populo Romano imploratos  
neque recusatos, quo minus perpetuo sub illorum ditione  
atque imperio essent. Unum se esse ex omni civitate Aeduorum, 8  
qui adduci non potuerit, ut iuraret aut liberos suos obsides  
daret. Ob eam rem se ex civitate profugisse et Romam ad sena- 9  
tum venisse auxilium postulatum, quod solus neque iure  
iurando neque obsidibus teneretur. Sed peius victoribus 10  
Sequanis quam Aeduis victis accidisse, propterea quod Ario-  
vistus, rex Germanorum, in eorum finibus consedisset, tertiam-  
que partem agri Sequani, qui esset optimus totius Galliae, occu-  
pavisset et nunc de altera parte tertia Sequanos decedere  
iuberet, propterea quod paucis mensibus ante Harudum milia  
hominum XXIV ad eum venissent, quibus locus ac sedes  
pararentur. Futurum esse paucis annis, uti omnes ex Galliae 11  
finibus pellerentur atque omnes Germani Rhenum transirent;  
neque enim conferendum esse Gallicum cum Germanorum agro  
neque hanc consuetudinem victis cum illa comparandam.

12 Ariovistum autem, ut semel Gallorum copias proelio vicerit,  
quod proelium factum sit Admagetobrigae, superbe et crudeli-  
ter imperare, obsides nobilissimi cuiusque liberos poscere et  
in eos omnia exempla cruciatusque edere, si qua res non ad  
13 nutum aut ad voluntatem eius facta sit. Hominem esse bar-  
barum, iracundum, temerarium; non posse eius imperia  
14 diutius sustinere. Nisi si quid in Caesare populoque Romano  
sit auxilii, omnibus Gallis idem esse faciendum, quod Hel-  
vetii fecerint, ut domo emigrent, aliud domicilium, alias sedes,  
remotas a Germanis, petant fortunamque, quaecumque acci-  
15 dat, experiantur. Haec si enuntiata Ariovisto sint, non dubi-  
tare, quin de omnibus obsidibus, qui apud eum sint, gravissi-  
16 mum supplicium sumat. Caesarem vel auctoritate sua atque  
exercitus vel recenti victoria vel nomine populi Romani  
detertere posse, ne maior multitudo Germanorum Rhenum  
traducatur, Galliamque omnem ab Ariovisti iniuria posse  
defendere.

32 1 XXXII. Hac oratione ab Divitiaco habita omnes, qui  
aderant, magno fletu auxilium a Caesare petere coeperunt.  
2 Animadvertit Caesar unos ex omnibus Sequanos nihil earum  
rerum facere, quas ceteri facerent, sed tristes capite demisso  
terram intueri. Eius rei quae causa esset, miratus ex ipsis  
3 quaesiit. Nihil Sequani respondere, sed in eadem tristitia taciti  
permanere. Cum ab his saepius quaereret neque ullam omnino  
vocem exprimere posset, idem Divitiacus Aeduus respondit:  
4 Hoc esse miseriorem et graviorem fortunam Sequanorum  
quam reliquorum, quod soli ne in occulto quidem queri neque  
auxilium implorare auderent absentisque Ariovisti crudelita-  
5 tem, velut si coram adesset, horrerent, propterea quod reliquis  
tamen fugae facultas daretur, Sequanis vero, qui intra fines  
suos Ariovistum recepissent, quorum oppida omnia in pote-  
state eius essent, omnes cruciatus essent perferendi.

33 1 XXXIII. His rebus cognitis Caesar Gallorum animos  
verbis confirmavit pollicitusque est sibi eam rem curae futu-  
ram: magnam se habere spem et beneficio suo et auctoritate  
2 adductum Ariovistum finem iniuriis facturum. Hac oratione  
habita concilium dimisit. Et secundum ea multae res eum  
hortabantur, quare sibi eam rem cogitandam et suscipiendam

putaret, imprimis, quod Aeduos, fratres consanguineosque saepenumero a senatu appellatos, in servitute atque in ditione videbat Germanorum teneri eorumque obsides esse apud Ariovistum ac Sequanos intellegebat; quod in tanto imperio populi Romani turpissimum sibi et rei publicae esse arbitratur. Paulatim autem Germanos consuescere Rhenum transire<sup>3</sup> et in Galliam magnam eorum multitudinem venire populo Romano periculosum videbat; neque sibi homines feroces ac barbaros temperaturos existimabat, quin, cum omnem Galliam occupavissent, ut ante Cimbrum Teutonum fecissent, in provinciam exirent atque inde in Italiam contenderent, praesertim cum Sequanos a provincia nostra Rhodanus divideret; quibus rebus quam maturrime occurrendum putabat. Ipse<sup>5</sup> autem Ariovistus tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat, ut ferendus non videretur.

XXXIV. Quam ob rem placuit ei, ut ad Ariovistum lega-<sup>1</sup> 34  
tos mitteret, qui ab eo postularent, uti aliquem locum medium utriusque colloquio deligeret: velle sese de re publica et summis utriusque rebus cum eo agere. Ei legationi Ariovistus respon-<sup>2</sup>  
dit: Si quid ipsi a Caesare opus esset, sese ad eum venturum fuisse; si quid ille se velit, illum ad se venire oportere. Praeter-<sup>3</sup>  
ea se neque sine exercitu in eas partes Galliae venire audere, quas Caesar possideret, neque exercitum sine magno comitatu atque molimento in unum locum contrahere posse. Sibi autem<sup>4</sup>  
mirum videri, quid in sua Gallia, quam bello vicisset, aut Caesari aut omnino populo Romano negotii esset.

XXXV. His responsis ad Caesarem relatis iterum ad eum<sup>1</sup> 35  
Caesar legatos cum his mandatis mittit: Quoniam tanto suo<sup>2</sup>  
populi Romani beneficio affectus, cum in consulatu suo rex atque amicus a senatu appellatus esset, hanc sibi populoque Romano gratiam referret, ut in colloquium venire invitatus gravaretur neque de communi re dicendum sibi et cognoscendum putaret, haec esse, quae ab eo postularet: primum, ne<sup>3</sup>  
quam multitudinem hominum amplius trans Rhenum in Galliam traderet; deinde obsides, quos haberet ab Aeduos, redderet Sequanisque permetteret, ut, quos illi haberent, voluntate eius reddere illis liceret; neve Aeduos iniuria lacesseret neve his sociisque eorum bellum inferret. Si ita fecisset, sibi<sup>4</sup>

populoque Romano perpetuam gratiam atque amicitiam cum eo futuram; si non impetraret, sese, quoniam M. Messala, M. Pi- sone consulibus senatus censuisset, uti, quicumque Galliam provinciam obtineret, quod commodo rei publicae facere pos- set, Aeduos ceterosque amicos populi Romani defenderet, se Aeduorum iniurias non neglecturum.

- 36 <sup>1</sup> XXXVI. Ad haec Ariovistus respondit: Ius esse belli, ut, qui vicissent, iis, quos vicissent, quem ad modum vellent, imperarent; item populum Romanum victis non ad alterius praescriptum, sed ad suum arbitrium imperare consuesse.
- <sup>2</sup> Si ipse populo Romano non praescriberet, quem ad modum suo iure uteretur, non oportere se a populo Romano in suo
- <sup>3</sup> iure impediri. Aeduos sibi, quoniam belli fortunam temptas- sent et armis congressi ac superati essent, stipendiarios esse
- <sup>4</sup> factos. Magnam Caesarem iniuriam facere, qui suo adventu
- <sup>5</sup> vectigalia sibi deteriora faceret. Aeduis se obsides redditu- rum non esse, neque his neque eorum sociis iniuria bellum illaturum, si in eo manerent, quod convenisset, stipendiumque
- <sup>6</sup> quotannis penderent; si id non fecissent, longe iis fratrum
- <sup>7</sup> nomen populi Romani a futurum. Quod sibi Caesar denuntia- ret se Aeduorum iniurias non neglecturum, neminem secum
- <sup>8</sup> sine sua pernicie contendisse. Cum vellet, congredere- tur: intellecturum, quid invicti Germani, exercitatissimi in armis, qui inter annos XIV tectum non subissent, virtute possent.
- 37 <sup>1</sup> XXXVII. Haec eodem tempore Caesari mandata refe- rebantur et legati ab Aeduis et a Treveris veniebant: Aedui questum, quod Harudes, qui nuper in Galliam transportati essent, fines eorum popularentur: sese ne obsidibus quidem
- <sup>2</sup> datis pacem Ariovisti redimere potuisse; Treveri autem pagos centum Sueborum ad ripas Rheni consedis- se, qui Rhenum transire conarentur; his praesse Nasuam et Cimberium fra- tres. Quibus rebus Caesar vehementer commotus maturan- dum sibi existimavit, ne, si nova manus Sueborum cum vete- ribus copiis Ariovisti sese coniunxisset, minus facile resisti
- <sup>3</sup> posset. Itaque re frumentaria, quam celerrime potuit, com- parata magnis itineribus ad Ariovistum contendit.
- 38 <sup>1</sup> XXXVIII. Cum tridui viam processisset, nuntiatum est ei Ariovistum cum suis omnibus copiis ad occupandum

Vesontionem, quod est oppidum maximum Sequanorum, contendere triduique viam a suis finibus profecisse. Id ne accideret, magnopere sibi praecavendum Caesar existimabat. Namque omnium rerum, quae ad bellum usui erant, summa erat in eo oppido facultas, idque natura loci sic muniebatur, ut magnam ad ducendum bellum daret facultatem, propterea quod flumen Dubis ut circino circumductum paene totum oppidum cingit; reliquum spatium, quod est non amplius pedum mille sescentorum, qua flumen intermittit, mons continet magna altitudine, ita, ut radices montis ex utraque parte ripae fluminis contingant. Hunc murus circumdatus arcem efficit et cum oppido coniungit. Huc Caesar magnis nocturnis diurnisque itineribus contendit occupatoque oppido ibi praesidium collocat.

XXXIX. Dum paucos dies ad Vesontionem rei frumentariae commeatusque causa moratur, ex percontatione nostrorum vocibusque Gallorum ac mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute atque exercitatione in armis esse praedicabant (saepenumero sese cum his congressos ne vultum quidem atque aciem oculorum dicebant ferre potuisse), tantus subito timor omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret. Hic primum ortus est a tribunis militum, praefectisque reliquisque, qui ex urbe amicitiae causa Caesarem secuti non magnum in re militari usum habebant: quorum alius alia causa illata, quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret, petebat, ut eius voluntate discedere liceret; nonnulli pudore adducti, ut timoris suspicionem vitarent, remanebant. Hi neque vultum fingere neque interdum lacrimas tenere poterant: abditi in tabernaculis aut suum fatum querebantur aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur. Vulgo totis castris testamenta obsignabantur. Horum vocibus ac timore paulatim etiam ii, qui magnum in castris usum habebant, milites centurionesque, quique equitatu praerant, perturbabantur. Qui se ex his minus timidos existimari volebant, non se hostem vereri, sed angustias itineris et magnitudinem silvarum, quae intercederent inter ipsos atque Ariovistum, aut rem frumentariam, ut satis commode supportari posset, timere dicebant. Nonnulli etiam Caesari nuntiarant,

cum castra moveri ac signa ferri iussisset, non fore dicto audientes milites neque propter timorem signa laturos.

40 1 XL. Haec cum animadvertisset, convocato consilio omniumque ordinum ad id consilium adhibitis centurionibus vehementer eos incusavit: primum, quod, aut quam in partem aut quo consilio ducerentur, sibi quaerendum aut cogitandum  
2 putarent. Ariovistum se consule cupidissime populi Romani amicitiam appetisse: cur hunc tam temere quisquam ab officio  
3 discessurum iudicaret? Sibi quidem persuaderi cognitis suis postulatis atque aequitate condicionum perspecta eum neque suam neque populi Romani gratiam repudiaturum.  
4 Quod si furore atque amentia impulsus bellum intulisset, quid tandem vererentur? aut cur de sua virtute aut de ipsius diligentia  
5 desperarent? Factum eius hostis periculum patrum nostrorum memoria, cum Cimbris et Teutonis a Gaio Mario pulsus non minorem laudem exercitus quam ipse imperator  
6 meritus videbatur; factum etiam nuper in Italia servili tumultu, quos tamen aliquid usus ac disciplina, quae a nobis accepissent, sublevarent. Ex quo iudicari posse, quantum  
7 haberet in se boni constantia, propterea quod, quos aliquamdiu inermos sine causa timuissent, hos postea armatos ac victores  
8 superassent. Denique hos esse eosdem, quibuscum saepenumero Helvetii congressi non solum in suis, sed etiam in illorum finibus plerumque  
9 superarint, qui tamen pares esse nostro exercitui non potuerint. Si quos adversum proelium et fuga Gallorum commoveret, hos, si quaerent, reperire  
10 posse diuturnitate belli defatigatis Gallis Ariovistum, cum multos menses castris se ac paludibus tenuisset neque sui potestatem fecisset, desperantes iam de pugna et dispersos subito adortum magis ratione et consilio quam virtute vicisse.  
11 Cui rationi contra homines barbaros atque imperitos locus fuisset, hac ne ipsum quidem sperare nostros exercitus capi posse. Qui suum timorem in rei frumentariae subvectionem  
12 angustiasque itineris conferrent, facere arroganter, cum aut de officio imperatoris desperare aut praescribere viderentur. Haec sibi esse curae; frumentum Sequanos, Leucos, Lingones subministrare, iamque esse in agris frumenta matura; de itinere ipsos brevi tempore iudicaturos. Quod non fore dicto

audientes neque signa laturo dicantur, nihil se ea re commo-  
veri: scire enim, quibuscumque exercitus dicto audiens non  
fuerit, aut male re gesta fortunam defuisse aut aliquo facinore  
comperito avaritiam esse convictam; suam innocentiam per-<sup>13</sup>  
petua vita, felicitatem Helvetiorum bello esse perspectam.  
Itaque se, quod in longiorem diem collaturus fuisset, reprae-<sup>14</sup>  
sentaturum et proxima nocte de quarta vigilia castra motu-  
rum, ut quam primum intellegere posset, utrum apud eos  
pudor atque officium an timor valeret. Quod si praeterea<sup>15</sup>  
nemo sequatur, tamen se cum sola decima legione iturum, de  
qua non dubitaret, sibique eam praetoriam cohortem futuram.  
Huic legioni Caesar et indulserat praecipue et propter virtu-  
tem confidebat maxime.

XLI. Hac oratione habita mirum in modum conversae<sup>1</sup> 41  
sunt omnium mentes summaque alacritas et cupiditas belli  
gerendi iniecta est, princepsque decima legio per tribunos<sup>2</sup>  
militum ei gratias egit, quod de se optimum iudicium fecisset,  
seque esse ad bellum gerendum paratissimam confirmavit.  
Deinde reliquae legiones cum tribunis militum et primorum<sup>3</sup>  
ordinum centurionibus egerunt, uti Caesari satisfacerent: se  
neque umquam dubitasse neque timuisse neque de summa belli  
suum iudicium, sed imperatoris esse existimavisse. Eorum<sup>4</sup>  
satisfactione accepta et itinere exquisito per Divitiacum, quod  
ex Gallis ei maximam fidem habebat, ut milium amplius quin-  
quaginta circuitu locis apertis exercitum duceret, de quarta  
vigilia, ut dixerat, profectus est. Septimo die, cum iter non<sup>5</sup>  
intermitteret, ab exploratoribus certior factus est Ariovisti  
copias a nostris milibus passuum quattuor et XX abesse.

XLII. Cognito Caesaris adventu Ariovistus legatos ad<sup>1</sup> 42  
eum mittit: quod antea de colloquio postulasset, id per se fieri  
licere, quoniam propius accessisset, seque id sine periculo  
facere posse existimare. Non respuit condicionem Caesar iam-<sup>2</sup>  
que eum ad sanitatem reverti arbitrabatur, cum id, quod antea  
petenti denegasset, ultro polliceretur, magnamque in spem<sup>3</sup>  
veniebat pro suis tantis populique Romani in eum beneficiis  
cognitis suis postulatis fore, uti pertinacia desisteret. Dies col-  
loquio dictus est ex eo die quintus. Interim saepe ultro citroque<sup>4</sup>  
cum legati inter eos mitterentur, Ariovistus postulavit, ne quem

peditem ad colloquium Caesar adduceret: vereri se, ne per insidias ab eo circumveniretur; uterque cum equitatu veniret: alia  
5 ratione sese non esse venturum. Caesar, quod neque colloquium interposita causa tolli volebat neque salutem suam Gallorum equitatu committere audebat, commodissimum esse statuit omnibus equis Gallis equitibus detractis eo legionarios milites legionis decimae, cui maxime confidebat, imponere, ut praesidium quam amicissimum, si quid opus facto esset, haberet.  
6 Quod cum fieret, non irridicule quidam ex militibus decimae legionis dixit: plus, quam pollicitus esset, Caesarem facere: pollicitum se in cohortis praetoriae loco decimam legionem habiturum, ad equum rescribere.

43 1 XLIII. Planities erat magna et in ea tumulus terrenus satis grandis. Hic locus aequo fere spatio ab castris Ariovisti et Caesaris aberat. Eo, ut erat dictum, ad colloquium  
2 venerunt. Legionem Caesar, quam equis vexerat, passibus ducentis ab eo tumulo constituit. Item equites Ariovisti pari  
3 intervallo constiterunt. Ariovistus, ex equis ut colloquerentur et praeter se denos ut ad colloquium adducerent, postu-  
4 lavit. Ubi eo ventum est, Caesar initio orationis sua senatusque in eum beneficia commemoravit, quod rex appellatus esset a senatu, quod amicus, quod munera amplissime missa; quam rem et paucis contigisse et pro magnis hominum officiis  
5 consuesse tribui docebat; illum, cum neque aditum neque causam postulandi iustam haberet, beneficio ac liberalitate  
6 sua ac senatus ea praemia consecutum. Docebat etiam, quam veteres quamque iustae causae necessitudinis ipsis cum Aeduis  
7 intercederent, quae senatus consulta quotiens quamque honorifica in eos facta essent, ut omni tempore totius Galliae principatum Aedui tenuissent, prius etiam, quam nostram  
8 amicitiam appetissent. Populi Romani hanc esse consuetudinem, ut socios atque amicos non modo sui nihil deperdere, sed gratia, dignitate, honore auctiores vellet esse; quod vero ad amicitiam populi Romani attulissent, id iis eripi quis pati  
9 posset? Postulavit deinde eadem, quae legatis in mandatis dederat: ne aut Aeduis aut eorum sociis bellum inferret, obsides redderet; si nullam partem Germanorum domum remittere posset, at ne quos amplius Rhenum transire pateretur.

XLIV. Ariovistus ad postulata Caesaris pauca respon-<sup>1</sup> 44  
dit, de suis virtutibus multa praedicavit: Transisse Rhenum<sup>2</sup>  
sese non sua sponte, sed rogatum et arcessitum a Gallis; non  
sine magna spe magnisque praemiis domum propinquosque  
reliquisse; sedes habere in Gallia ab ipsis concessas, obsides  
ipsorum voluntate datos; stipendium capere iure belli, quod  
victores victis imponere consuerint. Non sese Gallis, sed Gallos<sup>3</sup>  
sibi bellum intulisse: omnes Galliae civitates ad se oppugnan-  
dum venisse ac contra se castra habuisse; eas omnes copias a  
se uno proelio pulsas ac superatas esse. Si iterum experiri<sup>4</sup>  
velint, se iterum paratum esse decertare; si pace uti velint,  
iniquum esse de stipendio recusare, quod sua voluntate ad id  
tempus pependerit. Amicitiam populi Romani sibi ornamento<sup>5</sup>  
et praesidio, non detrimento esse oportere, idque se ea spe  
petisse. Si per populum Romanum stipendium remittatur et  
dediticii subtrahantur, non minus libenter sese recusaturum  
populi Romani amicitiam, quam appetierit. Quod multitu-<sup>6</sup>  
dinem Germanorum in Galliam traducat, id se sui muniendi,  
non Galliae impugnandae causa facere; eius rei testimonium  
esse, quod nisi rogatus non venerit et quod bellum non intulerit,  
sed defenderit. Se prius in Galliam venisse quam populum<sup>7</sup>  
Romanum. Numquam ante hoc tempus exercitum populi  
Romani Galliae provinciae finibus egressum. Quid sibi vellet?<sup>8</sup>  
Cur in suas possessiones veniret? Provinciam suam hanc esse  
Galliam, sicut illam nostram. Ut ipsi concedi non oporteret,  
si in nostros fines impetum faceret, sic item nos esse iniquos,  
quod in suo iure se interpellaremus. Quod fratres Aeduos<sup>9</sup>  
appellatos diceret, non se tam barbarum neque tam imperitum  
esse rerum, ut non sciret, neque bello Allobrogum proximo  
Aeduos Romanis auxilium tulisse. neque ipsos in his contenti-  
onibus, quas Aedui secum et cum Sequanis habuissent, auxilio  
populi Romani usos esse. Debere se suspicari simulata Cae-<sup>10</sup>  
sarem amicitia, quod exercitum in Gallia habeat, sui oppri-  
mendi causa habere. Qui nisi decedat atque exercitum deducat<sup>11</sup>  
ex his regionibus, sese illum non pro amico, sed hoste habitu-  
rum. Quod si eum interfecerit, multis sese nobilibus principi-<sup>12</sup>  
busque populi Romani gratum esse facturum: id se ab ipsis  
per eorum nuntios compertum habere, quorum omnium gra-

- 13 tiam atque amicitiam eius morte redimere posset. Quod si dis-  
cessisset et liberam possessionem Galliae sibi tradidisset,  
magno se illum praemio remuneraturum et, quaecumque bella  
geri vellet, sine ullo eius labore et periculo confecturum.
- 45 <sup>1</sup> XLV. Multa ab Caesare in eam sententiam dicta sunt,  
quare negotio desistere non posset: neque suam neque populi  
Romani consuetudinem pati, uti optime merentes socios desere-  
ret, neque se iudicare Galliam potius esse Ariovisti quam  
<sup>2</sup> populi Romani. Bello superatos esse Arvernos et Rutenos  
ab Quinto Fabio Maximo, quibus populus Romanus ignovisset  
neque in provinciam redegisset neque stipendium imposuisset.  
<sup>3</sup> Quod si antiquissimum quodque tempus spectari oporteret,  
populi Romani iustissimum esse in Gallia imperium; si iudi-  
cium senatus observari oporteret, liberam debere esse Galliam,  
quam bello victam suis legibus uti voluisset.
- 46 <sup>1</sup> XLVI. Dum haec in colloquio geruntur, Caesari nuntia-  
tum est equites Ariovisti propius tumulum accedere et ad no-  
<sup>2</sup> stros adequitare, lapides telaque in nostros conicere. Caesar  
loquendi finem facit seque ad suos recepit suisque imperavit,  
<sup>3</sup> ne quod omnino telum in hostes reicerent. Nam etsi sine ullo  
periculo legionis delectae cum equitatu proelium fore vibebat,  
tamen committendum non putabat, ut pulsus hostibus dici  
<sup>4</sup> posset eos ab se per fidem in colloquio circumventos. Postea-  
quam in vulgus militum elatum est, qua arrogantia in colloquio  
Ariovistus usus omni Gallia Romanis interdixisset impetum-  
que in nostros eius equites fecissent, eaque res colloquium ut  
diremisset, multo maior alacritas studiumque pugnandi maius  
exercitui iniectum est.
- 47 <sup>1</sup> XLVII. Biduo post Ariovistus ad Caesarem legatos  
mittit: Velle se de his rebus, quae inter eos agi coeptae neque  
perfectae essent, agere cum eo: uti aut iterum colloquio diem  
constitueret aut, si id minus vellet, e suis legatum aliquem ad  
<sup>2</sup> se mitteret. Colloquendi Caesari causa visa non est, et eo  
magis, quod pridie eius diei Germani retineri non potuerant,  
<sup>3</sup> quin in nostros tela conicerent. Legatum e suis sese magno  
cum periculo ad eum missurum et hominibus feris obiecturum  
<sup>4</sup> existimabat. Commodissimum visum est Gaium Valerium  
Procillum, C. Valerii Caburi filium, summa virtute et huma-

nitate adulescentem, cuius pater a Gaio Valerio Flacco civitate donatus erat, et propter fidem et propter linguae Gallicae scientiam, qua multa iam Ariovistus longinqua consuetudine utebatur, et quod in eo peccandi Germanis causa non esset, ad eum mittere et Marcum Metium, qui hospitio Ariovisti utebatur. His mandavit, ut, quae diceret Ariovistus, cognoscerent et ad se referrent. Quos cum apud se in castris Ariovistus conspexisset, exercitu suo praesente conclamavit: Quid ad se venient? an speculandi causa? Conantes dicere prohibuit et in catenas coniecit.

XLVIII. Eodem die castra promovit et milibus passuum 1 48 sex a Caesaris castris sub monte consedit. Postridie eius diei 2 praeter castra Caesaris suas copias traduxit et milibus passuum duobus ultra eum castra fecit eo consilio, uti frumento commeatuque, qui ex Sequanis et Aeduis supportaretur, Caesarem intercluderet. Ex eo die dies continuos quinque Caesar 3 pro castris suas copias produxit et aciem instructam habuit, ut, si vellet Ariovistus proelio contendere, ei potestas non deesset. Ariovistus his omnibus diebus exercitum castris con- 4 tinuit, equestri proelio cotidie contendit. Genus hoc erat pugnae, quo se Germani exercuerant. Equitum milia erant sex, totidem numero pedites velocissimi ac fortissimi, quos ex omni copia singuli singulos suae salutis causa delegerant: cum his in proeliis versabantur. Ad eos se equites recipiebant; hi, si quid 6 erat durius, concurrebant, si qui graviore vulnere accepto equo deciderat, circumstiebant; si quo erat longius prodeun- 7 dum aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut iubis equorum sublevati cursum adaequarent.

XLIX. Ubi eum castris se tenere Caesar intellexit, ne 1 49 diutius commeatu prohiberetur, ultra eum locum, quo in loco Germani consederant, circiter passus sescentos ab his, castris idoneum locum delegit acieque triplici instructa ad eum locum venit. Primam et secundam aciem in armis esse, tertiam 2 castra munire iussit. Hic locus ab hoste circiter passus ses- 3 centos, uti dictum est, aberat. Eo circiter hominum numero sedecim milia expedita cum omni equitatu Ariovistus misit, quae copiae nostros terrerent et munitione prohiberent. Nihilominus 4 setius Caesar, ut ante constituerat, duas acies hostem propul-

5 sare, tertiam opus perficere iussit. Munitis castris duas ibi legiones reliquit et partem auxiliiorum, quattuor reliquas in castra maiora reduxit.

50 <sup>1</sup> L. Proximo die instituto suo Caesar e castris utrisque copias suas eduxit paulumque a maioribus castris progressus <sup>2</sup> aciem instruxit, hostibus pugnandi potestatem fecit. Ubi ne tum quidem eos prodire intellexit, circiter meridiem exercitum in castra reduxit. Tum demum Ariovistus partem suarum copiarum, quae castra minora oppugnaret, misit. <sup>3</sup> Acriter utrimque usque ad vesperum pugnatum est. Solis occasu suas copias Ariovistus multis et illatis et acceptis <sup>4</sup> vulneribus in castra reduxit. Cum ex captivis quaereret Caesar, quam ob rem Ariovistus proelio non decertaret, hanc reperiebat causam, quod apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familiae eorum sortibus et vaticinationibus declararent, utrum proelium committi ex usu esset necne; eas <sup>5</sup> ita dicere: Non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam proelio contendissent.

51 <sup>1</sup> LI. Postridie eius diei Caesar praesidium utrisque castris, quod satis esse visum est, reliquit, omnes alarios in conspectu hostium pro castris minoribus constituit, quod minus multitudine militum legionariorum pro hostium numero valebat, ut ad speciem alariis uteretur; ipse triplici instructa <sup>2</sup> acie usque ad castra hostium accessit. Tum demum necessario Germani suas copias castris eduxerunt generatimque constituerunt paribus intervallis, Harudes, Marcomanos, Triboces, Vangiones, Nemetes, Sedusios, Suebos, omnemque <sup>3</sup> fugam relinqueretur. Eo mulieres imposuerunt, quae in proelium proficiscentes passis manibus flentes implorabant, ne se in servitatem Romanis traderent.

52 <sup>1</sup> LII. Caesar singulis legionibus singulos legatos et quaestorem praefecit, uti eos testes suae quisque virtutis <sup>2</sup> haberet; ipse a dextro cornu, quod eam partem minime firmam hostium esse animadverterat, proelium commisit. Ita <sup>3</sup> nostri acriter in hostes signo dato impetum fecerunt, itaque hostes repente celeriterque procurrerunt, ut spatium pila in hostes coniciendi non daretur. Reiectis pilis comminus gla-

diis pugnatum est. At Germani celeriter ex consuetudine sua 4  
phalange facta impetus gladiatorum exceperunt. Reperti sunt 5  
complures nostri milites, qui in phalangas insilirent et scuta  
manibus revellerent et desuper vulnerarent. Cum hostium acies 6  
a sinistro cornu pulsa atque in fugam conversa esset, a dextro  
cornu vehementer multitudine suorum nostram aciem preme-  
bant. Id cum animadvertisset Publius Crassus adulescens, qui 7  
equitatu praerat, quod expeditior erat quam ii, qui inter aciem  
versabantur, tertiam aciem laborantibus nostris subsidio misit.

LIII. Ita proelium restitutum est, atque omnes hostes 1 53  
terga verterunt neque prius fugere destiterunt, quam ad flu-  
men Rhenum milia passuum ex eo loco circiter quinquaginta  
pervenerunt. Ibi perpauci aut viribus confisi tranare con- 2  
tenderunt aut lintribus inventis sibi salutem reppererunt.  
In his fuit Ariovistus, qui naviculam deligatam ad ripam 3  
nactus ea profugit; reliquos omnes equitatu consecuti nostri  
interfecerunt. Duae fuerunt Ariovisti uxores, una Sueba 4  
natione, quam domo secum duxerat, altera Norica, regis  
Voccionis soror, quam in Gallia duxerat a fratre missam:  
utraeque in ea fuga perierunt; duae filiae: harum altera  
occisa, altera capta est.

Gaius Valerius Proculus, cum a custodibus in fuga trinis 5  
catenis vinctus traheretur, in ipsum Caesarem hostes equitatu  
persequentem incidit. Quae quidem res Caesari non minorem 6  
quam ipsa victoria voluptatem attulit, quod hominem honestis-  
simum provinciae Galliae, suum familiarem et hospitem,  
ereptum e manibus hostium sibi restitutum videbat, neque  
eius calamitate de tanta voluptate et gratulatione quicquam  
fortuna deminuerat. Is se praesente de se ter sortibus con- 7  
sultum dicebat, utrum igni statim necaretur an in aliud tem-  
pus reservaretur: sortium beneficio se esse incolumem. Item 8  
Marcus Metius repertus et ad eum reductus est.

LIV. Hoc proelio trans Rhenum nuntiato Suebi, qui 1 54  
ad ripas Rheni venerant, domum reverti coeperunt; quos Ubii,  
qui proximi Rhenum incolunt, perterritos insecuri magnum  
ex his numerum occiderunt. Caesar una aestate duobus 2  
maximis bellis confectis maturius paulo, quam tempus anni  
postulabat, in hiberna in Sequanos exercitum deduxit; hiber-

3 nis Labienum praeposuit; ipse in citeriorem Galliam ad  
conventus agendos profectus est.

#### LIBER IV.

55 <sup>1</sup> XVI. Germanico bello confecto multis de causis Caesar  
statuit sibi Rhenum esse transeundum; quarum illa fuit  
iustissima, quod, cum videret Germanos tam facile impelli,  
ut in Galliam venirent, suis quoque rebus eos timere voluit,  
cum intellegerent et posse et audere populi Romani exercitum  
Rhenum transire.

56 <sup>1</sup> XVII. Caesar his de causis, quas commemoravi, Rhe-  
num transire decreverat; sed navibus transire neque satis  
tutum esse arbitrabatur neque suae neque populi Romani  
<sup>2</sup> dignitatis esse statuebat. Itaque, etsi summa difficultas  
faciendi pontis proponebatur propter latitudinem, rapidi-  
tatem altitudinemque fluminis, tamen id sibi contendendum  
aut aliter non traducendum exercitum existimabat.

57 <sup>1</sup> XVIII. Diebus decem, quibus materia coepta erat com-  
<sup>2</sup> portari, omni opere effecto exercitus traducitur. Caesar ad  
utramque partem pontis firmo praesidio relicto in fines  
<sup>3</sup> Sugambrorum contendit. Interim a compluribus civitatibus  
ad eum legati veniunt; quibus pacem atque amicitiam peten-  
tibus liberaliter respondit obsidesque ad se adduci iubet.  
<sup>4</sup> Sugambri ex eo tempore, quo pons institui coeptus est,  
fuga comparata hortantibus iis, quos ex Tencteris atque Usi-  
petibus apud se habebant, finibus suis excesserant suaque om-  
nia exportaverant seque in solitudinem ac silvas abdiderant.

58 <sup>1</sup> XIX. Caesar paucos dies in eorum finibus moratus  
omnibus vicis aedificiisque incensis frumentisque succisis  
se in fines Ubiorum recepit atque iis auxilium suum polli-  
<sup>2</sup> citus, si ab Suebis premerentur, haec ab iis cognovit: Suebos,  
posteaquam per exploratores pontem fieri comperissent,  
more suo concilio habito nuntios in omnes partes dimisisse,  
uti de oppidis demigrarent, liberos, uxores suaque omnia in  
silvis deponerent atque omnes, qui arma ferre possent,  
<sup>3</sup> unum in locum convenirent. Hunc esse delectum medium  
fere regionum earum, quas Suebi obtinerent; hic Romano-  
rum adventum exspectare atque ibi decertare constituisse.

Quod ubi Caesar comperit, omnibus rebus iis confectis,<sup>4</sup> quarum rerum causa traducere exercitum constituerat, ut Germanis metum iniceret, ut Sugambros ulcisceretur, ut Ubios obsidione liberaret, diebus omnino decem et octo trans Rhenum consumptis satis et ad laudem et ad utilitatem profectum arbitratus se in Galliam recepit pontemque rescidit.

XX. Exigua parte aestatis reliqua Caesar, etsi in his<sup>1</sup> 59 locis, quod omnis Gallia ad septentriones vergit, maturae sunt hiemes, tamen in Britanniam proficisci contendit, quod omnibus fere Gallicis bellis hostibus nostris inde subministrata auxilia intellegebat et, si tempus anni ad bellum gerendum<sup>2</sup> deficeret, tamen magno sibi usui fore arbitratur, si modo insulam adisset, genus hominum perspexisset, loca, portus, aditus cognovisset; quae omnia fere Gallis erant incognita. Neque enim temere praeter mercatores illo adiit quisquam<sup>3</sup> neque iis ipsis quicquam praeter oram maritimam atque eas regiones, quae sunt contra Gallias, notum est. Itaque vocatis<sup>4</sup> ad se undique mercatoribus, neque quanta esset insulae magnitudo, neque quae aut quantae nationes incolerent, neque quem usum belli haberent aut quibus institutis uterentur, neque qui essent ad maiorum navium multitudinem idonei portus, reperire poterat.

XXI. Ad haec cognoscenda, priusquam periculum<sup>1</sup> 60 faceret, idoneum esse arbitratus Gaium Volusenum cum navi longa praemittit. Huic mandat, ut exploratis omnibus rebus<sup>2</sup> ad se quam primum revertatur. Ipse cum omnibus copiis in<sup>3</sup> Morinos proficiscitur, quod inde erat brevissimus in Britanniam traiectus. Huc naves undique ex finitimis regionibus<sup>4</sup> et, quam superiore aestate ad Veneticum bellum effecerat classem, iubet convenire. Interim consilio eius cognito et<sup>5</sup> per mercatores perlato ad Britannos a compluribus insulae civitatibus ad eum legati veniunt, qui polliceantur obsides dare atque imperio populi Romani obtemperare. Quibus<sup>6</sup> auditis liberaliter pollicitus hortatusque, ut in ea sententia permanerent, eos domum remittit et cum iis una Commium,<sup>7</sup> quem ipse Atrebatibus superatis regem ibi constituerat, cuius et virtutem et consilium probabat et quem sibi fidelem esse arbitratur, cuiusque auctoritas in his regionibus magni

8 habebatur, mittit. Huic imperat, quas possit, adeat civitates  
horteturque, ut populi Romani fidem sequantur, seque celeriter  
9 eo venturum nuntiet. Volusenus perspectis regionibus omnibus,  
quantum ei facultatis dari potuit, qui navi egredi ac se bar-  
baris committere non auderet, quinto die ad Caesarem rever-  
titur, quaeque ibi perspexisset, renuntiat.

61 1 XXII. Dum in his locis Caesar navium parandarum  
causa moratur, ex magna parte Morinorum ad eum legati  
venerunt, qui se de superioris temporis consilio excusarent,  
quod homines barbari et nostrae consuetudinis imperiti bellum  
populo Romano fecissent, seque ea, quae imperasset, facturos  
2 pollicerentur. Hoc sibi Caesar satis opportune accidisse arbitra-  
tus, quod neque post tergum hostem relinquere volebat neque  
belli gerendi propter anni tempus facultatem habebat neque  
has tantularum rerum occupationes Britanniae antepondas  
iudicabat, magnum iis numerum obsidum imperat. Quibus  
3 adductis eos in fidem recepit. Navibus circiter LXXX onera-  
riis coactis contractisque, quod satis esse ad duas transportan-  
das legiones existimabat, quod praeterea navium longarum  
4 habebat, quaestori, legatis praefectisque distribuit. Huc  
accedebant XVIII onerariae naves, quae ex eo loco a milibus  
passuum VIII vento tenebantur, quo minus in eundem portum  
5 venire possent: has equitibus distribuit. Reliquum exercitum  
Quinto Titurio Sabino et Lucio Aurunculeio Cottae legatis in  
Menapios atque in eos pagos Morinorum, a quibus ad eum  
6 legati non venerant, ducendum dedit; Publium Sulpicium  
Rufum legatum cum eo praesidio, quod satis esse arbitrabatur,  
portum tenere iussit.

62 1 XXIII. His constitutis rebus nactus idoneam ad navigan-  
dum tempestatem tertia fere vigilia solvit equitesque in ulterio-  
rem portum progredi et naves conscendere et se sequi iussit.  
2 A quibus cum paulo tardius esset administratum, ipse hora  
diei circiter quarta cum primis navibus Britanniam attigit  
atque ibi in omnibus collibus expositas hostium copias armatas  
3 conspexit. Cuius loci haec erat natura atque ita montibus  
angustis mare continebatur, uti ex locis superioribus in litus  
4 telum adigi posset. Hunc ad egrediendum nequaquam  
idoneum locum arbitratus, dum reliquae naves eo convenirent,

ad horam nonam in ancoris exspectavit. Interim legatis tribu-<sup>5</sup>  
nisque militum convocatis, et quae ex Voluseno cognosset et  
quae fieri vellet, ostendit monuitque, ut rei militaris ratio,  
maxime ut maritimae res postularent, ut quae celerem atque  
instabilem motum haberent, ad nutum et ad tempus omnes res  
ab iis administrarentur. His dimissis et ventum et aestum uno<sup>6</sup>  
tempore nactus secundum dato signo et sublatis ancoris cir-  
citer milia passuum septem ab eo loco progressus aperto ac  
plano litore naves constituit.

XXIV. At barbari consilio Romanorum cognito prae-<sup>1</sup> 63  
misso equitatu et essedariis, quo plerumque genere in proeliis  
uti consuerunt, reliquis copiis subsecuti nostros navibus egredi  
prohibebant. Erat ob has causas summa difficultas, quod naves<sup>2</sup>  
propter magnitudinem nisi in alto constitui non poterant, mili-  
tibus autem ignotis locis, impeditis manibus, magno et gravi  
onere armorum oppressis simul et de navibus desiliendum et in  
fluctibus consistendum et cum hostibus erat pugnandum, cum<sup>3</sup>  
illi aut ex arido aut paulum in aquam progressi omnibus mem-  
bris expeditis, notissimis locis audacter tela conicerent et equos  
insuefactos incitarent. Quibus rebus nostri perterriti atque<sup>4</sup>  
huius omnino generis pugnae imperiti non eadem alacritate ac  
studio, quo in pedestribus uti proeliis consuerant, utebantur.

XXV. Quod ubi Caesar animadvertit, naves longas,<sup>1</sup> 64  
quarum et species erat barbaris inusitator et motus ad usum  
expeditior, paulum removeri ab onerariis navibus et remis inci-  
tari et ad latus apertum hostium constitui atque inde fundis,  
sagittis, tormentis hostes propelli ac summoverti iussit; quae  
res magno usui nostris fuit. Nam et navium figura et remorum<sup>2</sup>  
motu et inusitato genere tormentorum permoti barbari consti-  
terunt ac paulum modo pedem rettulerunt. Atque nostris mili-<sup>3</sup>  
tibus cunctantibus, maxime propter altitudinem maris, qui  
decimae legionis aquilam ferebat, contestatus deos, ut ea res  
legioni feliciter eveniret: „Desilite“, inquit, „milites, nisi vultis  
aquilam hostibus prodere; ego certe meum rei publicae atque  
imperatorii officium praestitero.“ Hoc cum voce magna dixisset,<sup>4</sup>  
se ex navi proiecit atque in hostes aquilam ferre coepit. Tum<sup>5</sup>  
nostri cohortati inter se, ne tantum dedecus admitteretur, uni-

6 versi ex navi desiluerunt. Hos item ex proximis navibus cum  
conspexissent, subsecuti hostibus appropinquarunt.

65 1 XXVI. Pugnatum est ab utrisque acriter. Nostri tamen,  
quod neque ordines servare neque firmiter insistere neque  
signa subsequi poterant atque alius alia ex navi, quibuscum-  
que signis occurrerat, se aggregabat, magnopere perturbaban-  
2 tur; hostes vero, notis omnibus vadis, ubi ex litore aliquos  
3 singulares ex navi egredientes conspexerant, incitatis equis  
impeditos adoriebantur, plures paucos circumsistebant, alii  
4 ab latere aperto in universos tela coniciebant. Quod cum anim-  
advertisset Caesar, scaphas longarum navium, item specu-  
latoria navigia militibus compleri iussit et, quos laborantes  
5 conspexerat, his subsidia submittebat. Nostri, simul in arido  
constiterunt, suis omnibus consecutis in hostes impetum fece-  
runt atque eos in fugam dederunt; neque longius prosequi  
potuerunt, quod equites cursum tenere atque insulam capere  
non potuerant. Hoc unum ad pristinam fortunam Caesari  
defuit.

66 1 XXVII. Hostes proelio superati, simul atque se ex fuga  
receperunt, statim ad Caesarem legatos de pace miserunt,  
obsides sese daturos, quaeque imperasset, facturos polliciti  
2 sunt. Una cum his legatis Commius Atrebas venit, quem supra  
demonstraveram a Caesare in Britanniam praemisum.  
3 Hunc illi e navi egressum, cum ad eos oratoris modo Caesaris  
mandata deferret, comprehenderant atque in vincula coniece-  
4 rant; tum proelio facto remiserunt. In petenda pace eius rei  
culpam in multitudinem coniecerunt et, propter imprudentiam  
5 ut ignosceretur, petiverunt. Caesar questus, quod, cum ultro  
in continentem legatis missis pacem ab se petissent, bellum  
sine causa intulissent, ignoscere imprudentiae dixit obsidesque  
6 imperavit; quorum illi partem statim dederunt, partem ex  
longinquiore locis arcessitam paucis diebus sese daturos  
7 dixerunt. Interea suos remigrare in agros iusserunt, princi-  
pesque undique convenire et se civitatesque suas Caesari  
commendare coeperunt.

67 1 XXVIII. His rebus pace confirmata post diem quartum,  
quam est in Britanniam ventum, naves XVIII, de quibus  
supra demonstratum est, quae equites sustulerant, ex superi-

ore portu leni vento solverunt. Quae cum appropinquarent Bri-<sup>2</sup>  
tanniae et ex castris viderentur, tanta tempestas subito coorta  
est, ut nulla earum cursum tenere posset, sed aliae eodem, unde  
erant profectae, referrentur, aliae ad inferiorem partem insu-  
lae, quae est propius solis occasum, magno suo cum periculo  
deicerentur; quae tamen ancoris iactis cum fluctibus comple-<sup>3</sup>  
rentur, necessario adversa nocte in altum provectae continen-  
tem petierunt.

XXIX. Eadem nocte accidit, ut esset luna plena, qui dies <sup>1</sup> 68  
maritimos aestus maximos in Oceano efficere consuevit, no-  
strisque id erat incognitum. Ita uno tempore et longas naves,<sup>2</sup>  
quibus Caesar exercitum transportandum curaverat quasque in  
aridum subduxerat, aestus compleverat, et onerarias, quae ad  
ancoras erant deligatae, tempestas afflictabat, neque ulla 'no-  
stris facultas aut administrandi aut auxiliandi dabatur. Com-<sup>3</sup>  
pluribus navibus fractis reliquae cum essent funibus, ancoris  
reliquisque armamentis amissis ad navigandum inutiles,  
magna, id quod necesse erat accidere, totius exercitus pertur-  
batio facta est. Neque enim naves erant aliae, quibus reportari <sup>4</sup>  
possent, et omnia deerant, quae ad reficiendas naves erant usui,  
et, quod omnibus constabat hiemari in Gallia oportere, frumen-  
tum his in locis in hiemem provisum non erat.

XXX. Quibus rebus cognitis principes Britanniae, qui <sup>1</sup> 69  
post proelium ad Caesarem convenerant, inter se collocti, cum  
equites et naves et frumentum Romanis deesse intellegerent et  
paucitatem militum ex castrorum exiguitate cognoscerent, quae  
hoc erant etiam angustiora, quod sine impedimentis Caesar  
legiones transportaverat, optimum factu esse duxerunt rebel-<sup>2</sup>  
lione facta frumento commeatuque nostros prohibere et rem  
in hiemem producere, quod his superatis aut reditu interclusis  
neminem postea belli inferendi causa in Britanniam transitu-  
rum confidebant. Itaque rursus coniuratione facta paulatim ex <sup>3</sup>  
castris discedere ac suos clam ex agris deducere coeperunt.

XXXI. At Caesar, etsi nondum eorum consilia cognove-<sup>1</sup> 70  
rat, tamen et ex eventu navium suarum et ex eo, quod obsides  
dare intermiserant, fore id, quod accidit, suspicabatur. Itaque <sup>2</sup>  
ad omnes casus subsidia comparabat. Nam et frumentum ex  
agris cotidie in castra conferebat et, quae gravissime afflictae

erant naves, earum materia atque aere ad reliquas reficien-  
das utebatur et, quae ad eas res erant usui, ex continenti com-  
3 portari iubebat. Itaque, cum summo studio a militibus admi-  
nistraretur, XII navibus amissis, reliquis ut navigari commode  
posset, effecit.

71 1 XXXII. Dum ea geruntur, legione ex consuetudine una  
frumentatum missa, quae appellabatur septima, neque ulla  
ad id tempus belli suspicione interposita, cum pars hominum  
in agris remaneret, pars etiam in castra ventitaret, ii, qui pro  
portis castrorum in statione erant, Caesari nuntiaverunt pul-  
verem maiorem, quam consuetudo ferret, in ea parte videri,  
2 quam in partem legio iter fecisset. Caesar id, quod erat,  
suspiciatus, aliquid novi a barbaris initum consilii, cohortes,  
quae in stationibus erant, secum in eam partem proficisci, ex  
reliquis duas in stationem cohortes succedere, reliquas armari  
3 et confestim sese subsequi iussit. Cum paulo longius a castris  
processisset, suos ab hostibus premi atque aegre sustinere  
et conferta legione ex omnibus partibus tela conici animad-  
4 vertit. Nam quod omni ex reliquis partibus demesso frumento  
pars una erat reliqua, suspicati hostes huc nostros esse ven-  
5 turos noctu in silvis delituerant; tum dispersos depositis  
armis in metendo occupatos subito adorti paucis interfectis  
reliquos incertis ordinibus perturbaverant, simul equitatu  
atque essedis circumdederant.

72 1 XXXIII. Genus hoc est ex essedis pugnae. Primo per  
omnes partes perequitant et tela coniciunt atque ipso terrore  
equorum et strepitu rotarum ordines plerumque perturbant  
et, cum se inter equitum turmas insinuaverunt, ex essedis desi-  
2 liunt et pedibus proeliantur. Aurigae interim paulatim ex  
proelio excedunt atque ita currus collocant, ut, si illi a multi-  
tudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum  
3 habeant. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in  
proeliis praestant ac tantum usu cotidiano et exercitatione  
efficiunt, uti in declivi ac praecipiti loco incitatos equos susti-  
nere et brevi moderari ac flectere et per temonem percurrere  
et in iugo insistere et se inde in currus citissime recipere con-  
suerint.

73 1 XXXIV. Quibus rebus perturbatis nostris novitate

pugnae tempore opportunissimo Caesar auxilium tulit: namque eius adventu hostes constiterunt, nostri se ex timore receperunt. Quo facto ad lacessendum et ad committendum proelium<sup>2</sup> alienum esse tempus arbitratus suo se loco continuit et brevi tempore intermisso in castra legiones reduxit. Dum haec<sup>3</sup> geruntur, nostris omnibus occupatis, qui erant in agris reliqui, discesserunt. Secutae sunt continuos complures dies tempesta-<sup>4</sup> tes, quae et nostros in castris continerent et hostem a pugna prohiberent. Interim barbari nuntios in omnes partes dimi-<sup>5</sup> serunt paucitatemque nostrorum militum suis praedicaverunt et, quanta praedae faciendae atque in perpetuum sui liberandi facultas daretur, si Romanos castris expulissent, demonstra-  
verunt. His rebus celeriter magna multitudo peditatus equi-<sup>6</sup> tatusque coacta ad castra venerunt.

XXXV. Caesar, etsi idem, quod superioribus diebus acci-<sup>1</sup> 74  
derat, fore videbat, ut, si essent hostes pulsii, celeritate periculum effugerent, tamen nactus equites circiter XXX, quos Commius Atrebas, de quo ante dictum est, secum transportaverat, legiones in acie pro castris constituit. Commisso proelio<sup>2</sup> diutius nostrorum militum impetum hostes ferre non potuerunt ac terga verterunt. Quos tanto spatio secuti equites, quantum<sup>3</sup> cursu et viribus efficere potuerunt, complures ex iis occiderunt, deinde omnibus longe lateque aedificiis incensis se in castra receperunt.

XXXVI. Eodem die legati ab hostibus missi ad Caesa-<sup>1</sup> 75  
rem de pace venerunt. His Caesar numerum obsidum, quem<sup>2</sup> ante imperaverat, duplicavit eosque in continentem adduci iussit, quod propinqua die aequinoctii infirmis navibus hiemi navigationem subiciendam non existimabat. Ipse idoneam tem-<sup>3</sup> pestatem nactus paulo post mediam noctem naves solvit; quae omnes incolumes ad continentem pervenerunt; sed ex iis onera-<sup>4</sup> riae duae eosdem, quos reliquae, portus capere non potuerunt et paulo infra delatae sunt.

XXXVII. Quibus ex navibus cum essent expositi milites<sup>1</sup> 76  
circiter trecenti atque in castra contenderent, Morini, quos Caesar in Britanniam proficiscens pacatos reliquerat, spe praedae adducti primo non ita magno suorum numero circumsteterunt ac, si sese interfici nollent, arma ponere ius-

2 serunt. Cum illi orbe facto sese defenderent, celeriter ad  
clamorem hominum circiter milia sex convenerunt. Qua re  
3 nuntiata Caesar omnem ex castris equitatum suis auxilio  
misit. Interim nostri milites impetum hostium sustinuerunt  
atque amplius horis quattuor fortissime pugnaverunt et paucis  
4 vulneribus acceptis complures ex his occiderunt. Postea vero  
quam equitatus noster in conspectum venit, hostes abiectis  
armis terga verterunt magnusque eorum numerus est occisus.

77 1 XXXVIII. Caesar postero die Titum Labienum legatum  
cum iis legionibus, quas ex Britannia reducerat, in Morinos,  
2 qui rebellionem fecerant, misit. Qui cum propter siccitates  
paludum, quo se reciperent, non haberent, quo superiore anno  
perfugio erant usi, omnes fere in potestatem Labieni pervene-  
3 runt. At Q. Titurius et Lucius Cotta legati, qui in Menapiorum  
fines legiones duxerant, omnibus eorum agris vastatis, fru-  
mentis succisis, aedificiis incensis, quod Menapii se omnes in  
4 densissimas silvas abdiderant, se ad Caesarem receperunt. Cae-  
sar in Belgis omnium legionum hiberna constituit. Eo duae  
omnino civitates ex Britannia obsides miserunt, reliquae  
5 neglexerunt. His rebus gestis ex litteris Caesaris dierum  
viginti supplicatio a senatu decreta est.

## LIBER V.

78 1 XII. Britanniae pars interior ab iis incolitur, quos natos  
2 in insula ipsa memoria proditum dicunt, maritima pars ab iis,  
qui praedae ac belli inferendi causa ex Belgio transierunt (qui  
omnes fere iis nominibus civitatum appellantur, quibus orti  
ex civitatibus eo pervenerunt) et bello illato ibi permanserunt  
3 atque agros colere coeperunt. Hominum est infinita multitudo  
creberrimaque aedificia fere Gallicis consimilia, pecorum  
4 magnus numerus. Utuntur aut aere [aut nummo aureo] aut  
taleis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. Nasci-  
tur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus, in mari-  
5 timis ferrum, sed eius exigua est copia; aere utuntur impor-  
tato. Materia cuiusque generis ut in Gallia est praeter fagum  
6 atque abietem. Leporem et gallinam et anserem gustare fas  
7 non putant; haec tamen alunt animi voluptatisque causa. Loca  
sunt temperatiora quam in Gallia remissioribus frigoribus.

XIII. Insula natura triquetra, cuius unum latus est<sup>1</sup> 79  
contra Galliam. Huius lateris alter angulus, qui est ad Cantium,  
quo fere omnes ex Gallia naves appelluntur, ad orientem solem,  
inferior ad meridiem spectat. Hoc pertinet circiter milia pas-  
suum quingenta. Alterum vergit ad Hispaniam atque occiden-<sup>2</sup>  
tem solem; qua ex parte est Hibernia, dimidio minor, ut existi-  
matur, quam Britannia, sed pari spatio transmissus atque ex  
Gallia est in Britanniam. In hoc medio cursu est insula, quae<sup>3</sup>  
appellatur Mona; complures praeterea minores subiectae insu-  
lae existimantur; de quibus insulis nonnulli scripserunt dies  
continuos XXX sub bruma esse noctem. Nos nihil de eo per-<sup>4</sup>  
contationibus reperiebamus, nisi certis ex aqua mensuris bre-  
viores esse quam in continenti noctes videbamus. Huius est lon-<sup>5</sup>  
gitudine lateris, ut fert illorum opinio, septingentorum milium.  
Tertium est contra septentriones; cui parti nulla est obiecta<sup>6</sup>  
terra, sed eius angulus lateris maxime ad Germaniam spectat.  
Hoc milia passuum octingenta in longitudinem esse existima-  
tur. Ita omnis insula est in circuitu vicies centenum milium<sup>7</sup>  
passuum.

XIV. Ex his omnibus longe sunt humanissimi, qui Can-<sup>1</sup> 80  
tium incolunt, quae regio est maritima omnis, neque multum  
a Gallica differunt consuetudine. Interiores plerique frumenta<sup>2</sup>  
non serunt, sed lacte et carne vivunt pellibusque sunt vestiti.  
Omnes vero se Britanni vitro inficiunt, quod caeruleum efficit  
colorem, atque hoc horridiores sunt in pugna aspectu; capillo-<sup>3</sup>  
que sunt promisso atque omni parte corporis rasa praeter  
caput et labrum superius. Uxores habent deni duodenique inter<sup>4</sup>  
se communes et maxime fratres cum fratribus parentesque  
cum liberis; sed, qui sunt ex iis nati, eorum habentur liberi,<sup>5</sup>  
quo primum virgo quaeque deducta est.

## LIBER VI.

XI. Quoniam ad hunc locum perventum est, non alienum<sup>1</sup> 81  
esse videtur de Galliae Germaniaeque moribus et, quo differant  
hae nationes inter sese, proponere.

In Gallia non solum in omnibus civitatibus atque in omni-<sup>2</sup>  
bus pagis partibusque, sed paene etiam in singulis domibus fac-  
tiones sunt, earumque factionum principes sunt, qui summam<sup>3</sup>

auctoritatem eorum iudicio habere existimantur, quorum ad arbitrium iudiciumque summa omnium rerum consiliorumque  
4 redeat. Idque eius rei causa antiquitus institutum videtur, ne  
quis ex plebe contra potentiores auxilium egeret: suos enim  
quisque opprimi et circumveniri non patitur neque, aliter si  
5 faciat, ullam inter suos habet auctoritatem. Haec eadem ratio  
est in summa totius Galliae; namque omnes civitates in partes  
divisae sunt duas.

82 1 XIII. In omni Gallia eorum hominum, qui aliquo sunt  
numero atque honore, genera sunt duo. Nam plebes paene ser-  
vorum habetur loco, quae nihil audet per se, nulli adhibetur  
2 consilio. Plerique, cum aut aere alieno aut magnitudine tribu-  
torum aut iniuria potentiorum premuntur, sese in servitutem  
dicant nobilibus, quibus in hos eadem omnia sunt iura, quae  
dominis in servos.

3 Sed de his duobus generibus alterum est druidum, alte-  
4 rum equitum. Illi rebus divinis intersunt, sacrificia publica  
ac privata procurant, religiones interpretantur; ad eos ma-  
gnus adulescentium numerus disciplinae causa concurrit, ma-  
5 gnoque hi sunt apud eos honore. Nam fere de omnibus contro-  
versiis publicis privatisque constituunt et, si quod est admis-  
sum facinus, si caedes facta, si de hereditate, si de finibus  
controversia est, idem decernunt, praemia poenasque consti-  
6 tuunt; si qui aut privatus aut populus eorum decreto non  
7 stetit, sacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos est gravis-  
sima. Quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac sce-  
leratorum habentur, his omnes decedunt, aditum sermonem-  
que defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant,  
neque his petentibus ius redditur neque honos ullus commu-  
nicatur.

8 His autem omnibus druidibus praeest unus, qui summam  
9 inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo aut, si qui ex reli-  
quis excellit dignitate, succedit, aut, si sunt plures pares,  
suffragio druidum, nonnumquam etiam armis de principatu  
contendunt.

10 Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio  
totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato. Huc  
omnes undique, qui controversias habent, conveniunt eorum-

que decretis iudiciisque parent. Disciplina in Britannia reperta <sup>1</sup>  
atque inde in Galliam translata esse existimatur, et nunc, qui  
diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi  
causa proficiscuntur.

XIV. Druides a bello abesse consuerunt neque tributa <sup>1</sup> 83  
una cum reliquis pendunt, militiae vacationem omniumque  
rerum habent immunitatem. Tantis excitati praemiis et sua <sup>2</sup>  
sponte multi in disciplinam conveniunt et a parentibus propin-  
quisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere <sup>3</sup>  
dicuntur. Itaque annos nonnulli vicos in disciplina perman-  
nent. Neque fas esse existimant ea litteris mandare, cum in  
reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Graecis  
litteris utantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur, <sup>4</sup>  
quod neque in vulgus disciplinam efferrī velint neque eos, qui  
discant, litteris confisos minus memoriae studere; quod fere  
plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in per-  
discendo ac memoriam remittant.

Imprimis hoc volunt persuadere, non interire animas, <sup>5</sup>  
sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad  
virtutem excitari putant metu mortis neglecto. Multa praeter- <sup>6</sup>  
ea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum  
magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac  
potestate disputant et iuventuti tradunt.

XV. Alterum genus est equitum. Hi, cum est usus atque <sup>1</sup> 84  
aliquod bellum incidit (quod fere ante Caesaris adventum quot-  
annis accidere solebat, uti aut ipsi iniurias inferrent aut illa-  
tas propulsarent), omnes in bello versantur, atque eorum ut <sup>2</sup>  
quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum  
se ambactos clientesque habet. Hanc unam gratiam potentiam-  
que noverunt.

XVI. Natio est omnis Gallorum admodum dedita reli- <sup>1</sup> 85  
gionibus, atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus <sup>2</sup>  
morbis quique in proeliis periculisque versantur, aut pro vic-  
timis homines immolant aut se immolatuos vovent admini-  
strisque ad ea sacrificia druidibus utuntur, quod, pro vita homi- <sup>3</sup>  
nis nisi hominis vita reddatur, non posse deorum immortalium  
numen placari arbitrantur, publiceque eiusdem generis habent  
instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra habent, <sup>4</sup>

quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent;  
5 quibus succensis circumventi flamma exanimantur homines.  
Supplicia eorum, qui in furto aut in latrocinio aut aliqua noxia  
sint comprehensi, gratiora dis immortalibus esse arbitrantur;  
sed, cum eius generis copia deficit, etiam ad innocentium  
supplicia descendunt.

86 1 XVII. Deorum maxime Mercurium colunt. Huius sunt  
plurima simulacra, hunc omnium inventorem artium ferunt,  
hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quaestus pecu-  
2 niae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post  
hunc Apollinem et Martem et Iovem et Minervam. De his  
eandem fere, quam reliquae gentes, habent opinionem: Apol-  
linem morbos depellere, Minervam operum atque artificiorum  
initia tradere, Iovem imperium caelestium tenere, Martem  
3 bella regere. Huic, cum proelio dimicare constituerunt, ea,  
quae bello ceperint, plerumque devovent; cum superaverunt,  
animalia capta immolant reliquasque res in unum locum con-  
4 ferunt. Multis in civitatibus harum rerum exstructos cumulos  
5 locis consecratis conspicari licet; neque saepe accidit, ut  
neglecta quispiam religione aut capta apud se occultare aut  
posita tollere auderet, gravissimumque ei rei supplicium cum  
cruciatu constitutum est.

87 1 XVIII. Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedi-  
2 cant idque ab druidibus proditum dicunt. Ob eam causam  
spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium fini-  
unt; dies natales et mensium et annorum initia sic observant,  
3 ut noctem dies subsequatur. In reliquis vitae institutis hoc  
fere ab reliquis differunt, quod suos liberos, nisi cum adoleve-  
runt, ut munus militiae sustinere possint, palam ad se adire  
non patiuntur filiumque puerili aetate in publico in conspectu  
patris assistere turpe ducunt.

88 1 XIX. Viri, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine  
acceperunt, tantas ex suis bonis aestimatione facta cum doti-  
2 bus communicant. Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habe-  
tur fructusque servantur; uter eorum vita superavit, ad eum  
pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit.  
3 Viri in uxores, sicuti in liberos, vitae necisque habent  
potestatem; et cum pater familiae illustriore loco natus

decessit, eius propinqui conveniunt et, de morte si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum quaestionem habent et, si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt.

Funera sunt pro cultu Gallorum magna et sumptuosa; 4 omniaque, quae vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia, ac paulo supra hanc memoriam servi et clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis una cremabantur.

XX. Quae civitates commodius suam rem publicam 1 89 administrare existimantur, habent legibus sanctum, si quis quid de re publica a finitimis rumore aut fama acceperit, uti ad magistratum deferat neve cum quo alio communicet, quod 2 saepe homines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri et ad facinus impelli et de summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus, quae visa sunt, occultant, 3 quaeque esse ex usu iudicaverunt, multitudinē produunt. De re publica nisi per concilium loqui non conceditur.

XXI. Germani multum ab hac consuetudine differunt. 1 90 Nam neque druides habent, qui rebus divinis praesint, neque sacrificiis student. Deorum numero eos solos ducunt, quos 2 cernunt et quorum aperte opibus iuvantur, Solem et Vulcanum et Lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt.

Vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris 3 consistit; ab parvulis labori ac duritiae student. Qui diutissime 4 impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc alii staturam, alii vires nervosque confirmari putant.

XXII. Agriculturae non student, maiorque pars eorum 1 91 victus in lacte, caseo, carne consistit. Neque quisquam agri 2 modum certum aut fines habet proprias, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui tum una coierunt, quantum et quo loco visum est agri, attribuunt atque anno post alio transire cogunt.

Eius rei multas afferunt causas: ne assidua consuetudine 3 capti studium belli gerendi agricultura commutent; ne latas fines parare studeant potentioresque humiliores possessionibus expellant; ne accuratius ad frigora atque aestus vitandos aedificent; ne qua oriatur pecuniae cupiditas, qua ex re facti-

4 ones dissensionesque nascuntur; ut animi aequitate plebem  
contineant, cum suas quisque opes cum potentissimis aequari  
videat.

92 1 XXIII. Civitatibus maxima laus est quam latissime  
2 circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium  
virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere neque  
3 quemquam prope se audere consistere; simul hoc se fore  
tutiores arbitrantur repentinae incursionis timore sublato.  
4 Cum bellum civitas aut illatum defendit aut infert, magistra-  
5 tem, deliguntur. In pace nullus est communis magistratus,  
sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt  
controversiasque minuunt.

6 Latrocinia nullam habent infamiam, quae extra fines  
cuiusque civitatis fiunt, atque ea iuventutis exercendae ac  
7 desidia minuendae causa fieri praedicant. Atque ubi quis  
ex principibus in concilio dixit se ducem fore, qui sequi velint,  
profiteantur, consurgunt ii, qui et causam et hominem pro-  
bant, suumque auxilium pollicentur atque a multitudine collau-  
8 dantur; qui ex his secuti non sunt, in desertorum ac prodito-  
rum numero ducuntur, omniumque his rerum postea fides  
derogatur.

9 Hospitem violare fas non putant; qui quacumque de causa  
ad eos venerunt, ab iniuria prohibent, sanctos habent hisque  
omnium domus patent victusque communicatur.

93 1 XXIV. Ac fuit antea tempus, cum Germanos Galli vir-  
tute superarent, ultro bella inferrent, propter hominum multi-  
tudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent.  
2 Itaque ea, quae fertilissima Germaniae sunt, loca circum  
Hercyniam silvam, quam Eratostheni et quibusdam Graecis  
fama notam esse video, quam illi Orcyniam appellant, Volcae  
3 Tectosages occupaverunt atque ibi consederunt; quae gens ad  
hoc tempus his sedibus sese continet summamque habet iusti-  
4 tiae et bellicae laudis opinionem. Nunc, quod in eadem inopia,  
egestate, patientia, qua ante, Germani permanent, eodem  
5 victu et cultu corporis utuntur, Gallis autem provinciarum  
propinquitas et transmarinarum rerum notitia multa ad  
6 copiam atque usus largitur, paulatim assuefacti superari

multisque victi proeliis ne se quidem ipsi cum illis virtute comparant.

XXV. Huius Hercyniae silvae, quae supra demonstrata 1 94 est, latitudo novem dierum iter expedito patet: non enim aliter finiri potest, neque mensuras itinerum noverunt. Oritur ab 2 Helvetiorum et Nemetum et Rauricorum finibus rectaque fluminis Danuvii regione pertinet ad fines Dacorum et Anartium; hinc se flectit sinistrorsus diversis ab flumine regionibus multa- 3 rumque gentium fines propter magnitudinem attingit; neque 4 quisquam est huius Germaniae, qui se aut adisse ad initium eius silvae dicat, cum dierum iter LX processerit, aut, quo ex loco oriatur, acceperit; multaque in ea genera ferarum nasci constat, quae reliquis in locis visa non sint; ex quibus quae 5 maxime differant ab ceteris et memoriae prodenda videantur, haec sunt.

XXVI. Est bos cervi figura, cuius a media fronte inter 1 95 aures unum cornu existit, excelsius magisque directum his, quae nobis nota sunt, cornibus; ab eius summo sicut palmae 2 ramique late diffunduntur. Eadem est feminae marisque 3 natura, eadem forma magnitudoque cornuum.

XXVII. Sunt item, quae appellantur alces. Harum est 1 96 consimilis capris figura et varietas pellium, sed magnitudine paulo antecedunt mutilaeque sunt cornibus et crura sine nodis articulisque habent; neque quietis causa procumbunt neque, 2 si quo afflictas casu conciderunt, erigere sese aut sublevare possunt. His sunt arbores pro cubilibus: ad eas se applicant 3 atque ita paulum modo reclinatae quietem capiunt. Quarum 4 ex vestigiis cum est animadversum a venatoribus, quo se recipere consuerint, omnes eo loco aut ab radicibus subruunt aut accidunt arbores tantum, ut summa species earum stantium relinquatur. Huc cum se consuetudine reclinaverunt, infirmas 5 arbores pondere affligunt atque una ipsae concidunt.

XXVIII. Tertium est genus eorum, qui uri appellantur. 1 97 Hi sunt magnitudine paulo infra elephantos, specie et colore et figura tauri. Magna vis eorum est et magna velocitas; 2 neque homini neque ferae, quam conspexerunt, parant. Hos 3 studiose foveis captos interficiunt; hoc se labore durant adulescentes atque hoc genere venationis exercent et, qui plurimos

ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quae sint  
4 testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homi-  
5 nes et mansuefieri ne parvuli quidem excepti possunt. Ampli-  
tudo cornuum et figura et species multum a nostrorum boum  
6 cornibus differt. Haec studiose conquisita ab labris argento  
circumcludunt atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur.

P. OVIDIUS NASO

## METAMORPHOSES.

### QUATTUOR AETATES.

- 1 Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,  
sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat. 98  
Poena metusque aberant nec verba minacia fixo  
aere legebantur nec supplex turba timebat  
5 iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.  
Nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,  
montibus in liquidas pinus descenderat undas  
nullaque mortales praeter sua litora norant.  
Nondum praecipites cingebant oppida fossae;  
10 non tuba directi, non aeris cornua flexi,  
non galeae, non ensis erant: sine militis usu  
mollia securae peragebant otia gentes.  
Ipsa quoque immunis rastroque intacta nec ullis  
saucia vomeribus per se dabat omnia tellus;  
15 contentique cibis nullo cogente creatis  
arbuteos fetus montanaque fraga legebant  
cornaque et in duris haerentia mora rubetis  
et, quae deciderant patula Iovis arbore, glandes.  
Ver erat aeternum placidique tepentibus auris  
20 mulcebant Zephyri natos sine semine flores.  
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat  
nec renovatus ager gravidis canebat aristis;  
flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant  
flavaque de viridi stillabant ilice mella.  
25 Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso  
sub Iove mundus erat, subiit argentea proles,  
auro deterior, fulvo pretiosior aere.

Iuppiter antiqui contraxit tempora veris  
perque hiemes aestusque et inaequales autumnos  
30 et breve ver spatiis exegit quattuor annum.

Tum primum siccis aër fervoribus ustus  
canduit et ventis glacies astricta pependit.

Tum primum subiere domos. Domus antra fuerunt  
et densi frutices et vinctae cortice virgae.

35 Semina tum primum longis Cerealia sulcis  
obruta sunt pressique iugo gemuere iuveni.

Tertia post illam successit aënea proles,  
saevior ingeniis et ad horrida promptior arma,  
non scelerata tamen. De duro est ultima ferro.

40 Protinus irrupit venae peioris in aevum  
omne nefas: fugere pudor verumque fidesque;  
in quorum subiere locum fraudesque dolique  
insidiaeque et vis et amor sceleratus habendi.

Vela dabant ventis, nec adhuc bene noverat illos  
45 navita, quaeque diu steterant in montibus altis,  
fluctibus ignotis exsultavere carinae.

Communemque prius, ceu lumina solis et auras,  
cautus humum longo signavit limite mensor.

Nec tantum segetes alimentaue debita dives  
50 poscebatur humus, sed itum est in viscera terrae;  
quasque recondiderat Stygiisque admoverat umbris,  
effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Iamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum  
prodierat: prodit Bellum, quod pugnat utroque  
55 sanguineaue manu crepitantia concutit arma.

Vivitur ex raptō: non hospes ab hospite tutus,  
non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est.

Imminet exitio vir coniugis, illa mariti;  
lurida terribiles miscent aconita novercae;  
60 filius ante diem patrios inquirat in annos.

Victa iacet pietas, et virgo caede madentes  
ultima caelestum terras Astraea reliquit.

(I. 89—150.)

1 Separat Aonios Oetaeis Phocis ab arvis,  
 terra ferax, dum terra fuit, sed tempore in illo  
 pars maris et latus subitarum campus aquarum.  
 Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,  
 5 nomine Parnasus, superantque cacumina nubes.  
 Hic ubi Deucalion (nam cetera texerat aequor)  
 cum consorte tori parva rate vectus adhaesit,  
 Corycidas Nymphas et numina montis adorant  
 fatidicamque Themis, quae tunc oracla tenebat.  
 10 Non illo melior quisquam nec amantior aequi  
 vir fuit aut illa metuentior ulla deorum.

Iuppiter ut liquidis stagnare paludibus orbem  
 et superesse virum de tot modo milibus unum  
 et superesse videt de tot modo milibus unam,  
 15 innocuos ambos, cultores numinis ambos,  
 nubila disiecit nimbisque Aquilone remotis  
 et caelo terras ostendit et aethera terris.

Nec maris ira manet, positoque tricuspide telo  
 mulcet aquas rector pelagi supraque profundum  
 20 exstantem atque umeros innato murice tectum  
 caeruleum Tritona vocat conchaeque sonanti  
 inspirare iubet fluctusque et flumina signo  
 iam revocare dato. Cava bucina sumitur illi,  
 tortilis, in latum quae turbine crescit ab imo,  
 25 bucina, quae, medio concepit ubi aëra ponto,  
 litora voce replet sub utroque iacentia Phoebos.  
 Tunc quoque, ut ora dei madida rorantia barba  
 contigit et cecinit iussos inflata receptus,  
 omnibus audita est telluris et aequoris undis  
 30 et, quibus est undis audita, coërcuit omnes.

Flumina subsidunt collesque exire videntur;  
 iam mare litus habet, plenos capit alveus amnes;  
 surgit humus, crescunt loca decrescentibus undis.  
 Postque diem longam nudata cacumina silvae  
 35 ostendunt limumque tenent in fronde relictum.

Redditus orbis erat. Quem postquam vidit inanem

et desolatas agere alta silentia terras,  
 Deucalion lacrimis ita Pyrrham affatur obortis:  
 „O soror, o coniunx, o femina sola superstes,  
 40 „quam commune mihi genus et patruelis origo,  
 „deinde torus iunxit, nunc ipsa pericula iungunt,  
 „terrarum, quascumque vident occasus et ortus,  
 „nos duo turba sumus; possedit cetera pontus.  
 „Haec quoque adhuc vitae non est fiducia nostrae  
 45 „certa satis; terrent etiam nunc nubila mentem.  
 „Quis tibi, si sine me fatis erepta fuisses,  
 „nunc animus, miseranda, foret? Quo sola timorem  
 „ferre modo posses? Quo consolante doleres?  
 „Namque ego, crede mihi, si te quoque pontus haberet,  
 50 „te sequerer, coniunx, et me quoque pontus haberet.  
 „O utinam possem populos reparare paternis  
 „artibus atque animas formatae infundere terrae!  
 „Nunc genus in nobis restat mortale duobus  
 „(sic visum est superis) hominumque exempla manemus.“  
 55 Dixerat, et flebant. Placuit caeleste precari  
 numen et auxilium per sacras quaerere sortes.  
 Nulla mora est: adeunt pariter Cephisidas undas,  
 ut nondum liquidas, sic iam vada nota secantes.  
 Inde ubi libatos irroravere liquores  
 60 vestibus et capiti, flectunt vestigia sanctae  
 ad delubra deae, quorum fastigia turpi  
 pallebant musco stabantque sine ignibus arae.  
 Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque  
 pronus humi gelidoque pavens dedit oscula saxo  
 65 atque ita, „Si precibus“, dixerunt, „numina iustis  
 „victa remollescunt, si flectitur ira deorum,  
 „dic, Themis, qua generis damnum reparabile nostri  
 „arte sit, et mersis fer opem, mitissima, rebus!“  
 Mota dea est sortemque dedit: „Discedite templo  
 70 „et velate caput cinctasque resolvite vestes  
 ossaque post tergum magnae iactate parentis.“  
 Obstipuere diu, rumpitque silentia voce  
 Pyrrha prior iussisque deae parere recusat,  
 detque sibi veniam, pavido rogat ore pavetque

75 laedere iactatis maternas ossibus umbras.

Interea repetunt caecis obscura latebris  
verba datae sortis secum inter seque volutant.

Inde Promethides placidis Epimethida dictis  
mulcet et, „Aut fallax“, ait, „est sollertia nobis

80 „aut pia sunt nullumque nefas oracula suadent.  
„Magna parens terra est; lapides in corpore terrae  
„ossa reor dici; iacere hos post terga iubemur.“

Coniugis augurio quamquam Titania mota est,  
spes tamen in dubio est: adeo caelestibus ambo

85 diffidunt monitis. Sed quid temptare nocebit?

Discedunt velantque caput tunicasque recingunt  
et iussos lapides sua post vestigia mittunt.

Saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas!)  
ponere duritiem coepere suumque rigorem

90 mollirique mora mollitaque ducere formam.

Mox, ubi creverunt naturaque mitior illis  
contigit, ut quaedam, sic non manifesta videri  
forma potest hominis, sed uti de marmore coepto,  
non exacta satis rudibusque simillima signis.

95 Quae tamen ex illis aliquo pars umida suco  
et terrena fuit, versa est in corporis usum;  
quod solidum est flectique nequit, mutatur in ossa;  
quae modo vena fuit, sub eodem nomine mansit:

inque brevi spatio superiorum numine saxa

100 missa viri manibus faciem traxere virorum  
et de femineo reparata est femina iactu.

Inde genus durum sumus experiensque laborum  
et documenta damus, qua simus origine nati.

(I. 313—415.)

### PYRAMUS ET THISBE.

1 Pyramus et Thisbe, iuvenum pulcherrimus alter,  
altera, quas oriens habuit, praelata puellis,  
contiguas tenuere domos, ubi dicitur altam  
coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.

5 Notitiam primosque gradus vicinia fecit,  
tempore crevit amor; taedae quoque iure coissent,  
sed vetuere patres. Quod non potuere vetare,

100

ex aequo captis ardebant mentibus ambo.

Conscius omnis abest; nutu signisque loquuntur;

10 quoque magis tegitur, tectus magis aestuat ignis.

Fissus erat tenui rima, quam duxerat olim,  
cum fieret, paries domui communis utriue.

Id vitium nulli per saecula longa notatum  
(quid non sentit amor!) primi vidistis amantes

15 et vocis fecistis iter tutaeque per illud

murmure blanditiae minimo transire solebant.

Saepe, ubi constiterant hinc Thisbe, Pyramus illinc  
inque vices fuerat captatus anhelitus oris,

„Invide“, dicebant, „paries, quid amantibus obstas?

20 „Quantum erat, ut sineres toto nos corpore iungi,

„aut, hoc si nimium est, vel ad oscula danda pateres!

„Nec sumus ingrati: tibi nos debere fatemur,

„quod datus est verbis ad amicas transitus aures.“

Talia diversa nequiquam sede locuti

25 sub noctem dixere vale partique dedere

oscula quisque suae non pervenientia contra.

Postera nocturnos aurora removerat ignes  
solque pruinosas radiis siccaverat herbas:

ad solitum coiere locum. Tum murmure parvo

30 multa prius questi statuunt, ut nocte silenti

fallere custodes foribusque excedere temptent,

cumque domo exierint, urbis quoque tecta relinquunt,

neve sit errandum lato spatiantibus arvo,

convenient ad busta Nini lateantque sub umbra

35 arboris: arbor ibi niveis uberrima pomis

ardua morus erat, gelido contermina fonti.

Pacta placent; et lux tarde discedere visa

praecipitatur aquis et aquis nox surgit ab isdem.

Callida per tenebras versato cardine Thisbe

40 egreditur fallitque suos adopertaque vultum

pervenit ad tumulum dictaque sub arbore sedit:

audacem faciebat amor. Venit ecce recenti

caede leaena boum spumantes oblita rictus,

depositura sitim vicini fontis in unda.

45 Quam procul ad lunae radios Babylonia Thisbe

vidit et obscurum trepido pede fugit in antrum,  
dumque fugit, tergo velamina lapsa reliquit.

Ut lea saeva sitim multa compescuit unda,  
dum redit in silvas, inventos forte sine ipsa

50 ore cruentato tenues laniavit amictus.

Serius egressus vestigia vidit in alto  
pulvere certa ferae totoque expalluit ore  
Pyramus. Ut vero vestem quoque sanguine tinctam  
repperit, „Una duos“, inquit, „nox perdet amantes;

55 „e quibus illa fuit longa dignissima vita;

„nostra nocens anima est: ego te, miseranda, peremi,  
„in loca plena metus, qui iussi, nocte venires“

„nec prior huc veni. Nostrum divellite corpus  
„et scelerata fero consumite viscera morsu,

60 „o quicumque sub hac habitatis rupe, leones!

„Sed timidi est optare necem.“ — Velamina Thisbes  
tollit et ad pactae secum fert arboris umbram.

Utque dedit notae lacrimas, dedit oscula vesti,

„Accipe nunc“, inquit, „nostri quoque sanguinis haustus!“

65 Quoque erat accinctus, demisit in ilia ferrum,  
nec mora, ferventi moriens e vulnere traxit.

Et iacuit resupinus humo; cruor emicat alte,  
non aliter, quam cum vitiato fistula plumbo  
scinditur et tenui stridente foramine longas

70 eiaculatur aquas atque ictibus aëra rumpit.

Arborei fetus aspergine caedis in atram  
vertuntur faciem madefactaque sanguine radix  
purpureo tingit pendentia mora colore.

Ecce metu nondum posito, ne fallat amantem,

75 illa redit iuvenemque oculis animoque requirit,  
quantaque vitarit, narrare pericula, gestit.

Utque locum et visa cognoscit in arbore formam,  
sic facit incertam pomi color; haeret, an haec sit,  
dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum

80 membra solum retroque pedem tulit oraque buxo

pallidiora gerens exhorruit aequoris instar,  
quod tremit, exigua cum summum stringitur aura.

Sed postquam remorata suos cognovit amores,

percutit indignos claro plangore lacertos  
85 et laniata comas amplexaque corpus amatum  
vulnera supplevit lacrimis fletumque cruori  
miscuit et gelidis in vultibus oscula figens,  
„Pyrame“, clamavit, „quis te mihi casus ademit?  
„Pyrame, responde! Tua te, carissime, Thisbe  
90 „nominat! Exaudi vultusque attolle iacentes!“

Ad nomen Thisbes oculos iam morte gravatos  
Pyramus erexit visaque recondidit illa.  
Quae postquam vestemque suam cognovit et ense  
vidit ebur vacuum, „Tua te manus“, inquit, „amorque  
95 „perdidit, infelix! Est et mihi fortis in unum  
„hoc manus, est et amor: dabit hic in vulnera vires.  
„Persequar extinctum letique miserrima dicar  
„causa comesque tui; quique a me morte revelli,  
„heu, sola poteris, poteris nec morte revelli.  
100 „Hoc tamen amborum verbis estote rogati,  
„o multum miseri meus illiusque parentes,  
„ut, quos certus amor, quos hora novissima iunxit,  
„componi tumulto non invideatis eodem.  
„At tu, quae ramis arbor miserabile corpus  
105 „nunc tegis unius, mox es tectura duorum,  
„signa tene caedis pullosque et luctibus aptos  
„semper habe fetus, gemini monumenta cruoris!“

Dixit et aptato pectus mucrone sub imum  
incubuit ferro, quod adhuc a caede tepebat.  
110 Vota tamen tetigere deos, tetigere parentes:  
nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater;  
quodque rogis superest, una requiescit in urna.

(IV. 54—166.)

### NIOBE.

101 <sup>1</sup> Lydia tota fremit Phrygiaeque per oppida facti  
rumor it et magnum sermonibus occupat orbem.  
Ante suos Niobe thalamos cognoverat illam,  
tum cum Maeoniam virgo Sipylumque colebat;  
5 nec tamen admonita est poena popularis Arachnes  
cedere caelitibus verbisque minoribus uti.

Multa dabant animos: sed enim nec coniugis artes  
nec genus amborum magnique potentia regni  
sic placere illi, quamvis ea cuncta placerent,  
10 ut sua progenies; et felicissima matrum  
dicta foret Niobe, si non sibi visa fuisset.

Nam sata Tiresia venturi praescia Manto  
per medias fuerat divino concita motu  
vaticinata vias: „Ismenides, ite frequentes  
15 „et date Latonae Latonigenisque duobus  
„cum prece tura pia lauroque innectite crinem:  
„ore meo Latona iubet.“ Paretur et omnes  
Thebaïdes iussis sua tempora frondibus ornant  
turaque dant sanctis et verba precantia flammis.

20 Ecce venit comitum Niobe celeberrima turba,  
vestibus intexto Phrygiis spectabilis auro  
et, quantum ira sinit, formosa; movensque decoro  
cum capite immissos umerum per utrumque capillos  
constitit, utque oculos circumtulit alta superbos,  
25 „Quis furor, auditos“, inquit, „praeponere visis  
„caelestes? Aut cur colitur Latona per aras,  
„numen adhuc sine ture meum est? Mihi Tantalus auctor,  
„cui licuit soli superiorum tangere mensas;  
„Pleïadum soror est genetrix mea; maximus Atlas  
30 „est avus, aetherium qui fert cervicibus axem;  
„Iuppiter alter avus; socero quoque glorior illo.  
„Me gentes metuunt Phrygiae, me regia Cadmi  
„sub domina est fidibusque mei commissa mariti  
„moenia cum populis a meque viroque reguntur.  
35 „In quamcumque domus adverti lumina partem,  
„immensae spectantur opes. Accedit eodem  
„digna dea facies. Huc natas adice septem  
„et totidem iuvenes et mox generosque nurusque.  
„Quaerite nunc, habeat quam nostra superbia causam,  
40 „nescio quoque audete satam Titanida Coeo  
„Latonam praeferre mihi, cui maxima quondam  
„exiguam sedem pariturae terra negavit!  
„Nec caelo nec humo nec aquis dea vestra recepta est:  
exul erat mundi, donec miserata vagantem,

45 „ „Hospita tu terris erras, ego“, dixit, „in undis“,  
„instabilemque locum Delos dedit. Illa duorum  
„facta parens: uteri pars haec est septima nostri.  
„Sum felix: quis enim neget hoc? felixque manebo:  
„hoc quoque quis dubitet? Tutam me copia fecit.  
50 „Maior sum, quam cui possit Fortuna nocere;  
„multaque ut eripiat, multo mihi plura relinquet.  
„Excessere metum mea iam bona. Fingite demi  
„huic aliquid populo natorum posse meorum,  
„non tamen ad numerum redigar spoliata duorum,  
55 „Latonae turbam; qua quantum distat ab orba?  
„Ite, satis pro re sacri est; laurumque capillis  
„ponite!“ Deponunt infectaque sacra relinquunt,  
quodque licet, tacito venerantur murmure numen.

Indignata dea est summoque in vertice Cynthi  
60 talibus est dictis gemina cum prole locuta:  
„En ego, vestra parens, vobis animosa creatis  
„et, nisi Iunoni, nulli cessura dearum,  
„an dea sim, dubitor perque omnia saecula cultis  
„arceor, o nati, nisi vos succurritis, aris.  
65 „Nec dolor hic solus: diro convicia facto  
„Tantalus adiecit vosque est postponere natis  
„ausa suis et me (quod in ipsam recidat!) orbam  
„dixit et exhibuit linguam scelerata paternam“.  
Adiectura preces erat his Latona relatis:

70 „Desine“, Phoebus ait, „poenae mora longa querela est!“  
Dixit idem Phoebus. Celerique per aëra lapsu  
contigerant tecti Cadmeïda nubibus arcem.

Planus erat lateque patens prope moenia campus,  
assiduis pulsatus equis, ubi turba rotarum  
75 duraque mollierat subiectas ungula glaebas.  
Pars ibi de septem genitis Amphione fortes  
conscendunt in equos Tyrioque rubentia suco  
terga premunt auroque graves moderantur habenas.  
E quibus Ismenus, dum certum flectit in orbem  
80 quadrupedis cursus spumantiaque ora coërcet,  
„Ei mihi!“ conclamat medioque in pectore fixa  
tela gerit frenisque manu moriente remissis

in latus a dextro paulatim defluit armo.

Proximus audito sonitu per inane pharetrae  
85 frena dabat Sipylus: veluti cum praescius imbris  
nube fugit visa pendentiaque undique rector  
carbasa deducit, ne qua levis effluat aura.

Frena dabat: dantem non evitabile telum  
consequitur summaque tremens cervice sagitta  
90 haesit et exstabat crudum de gutture ferrum.  
Ille, ut erat pronus, per colla admissa iubasque  
volvitur et calido tellurem sanguine foedat.

Phaedimus infelix et aviti nominis heres  
Tantalus, ut solito finem imposuere labori,  
95 transierant ad opus nitidae iuvenale palaestrae;  
et iam contulerant arto luctantia nexu  
pectora pectoribus, cum tento concita nervo,  
sicut erant iuncti, traiecit utrumque sagitta.  
Ingemuere simul, simul incurvata dolore  
100 membra solo posuere, simul suprema iacentes  
lumina versarunt, animam simul exhalarunt.

Aspicit Alphenor laniataque pectora plangens  
advolat, ut gelidos complexibus allevet artus,  
inque pio cadit officio; nam Delius illi  
105 intima fatifero rupit praecordia ferro.  
Quod simul eductum est, pars est pulmonis in hamis  
eruta cumque anima cruor est effusus in auras.

At non intonsum simplex Damasichthona vulnus  
afficit. Ictus erat, qua crus esse incipit et qua  
110 mollia nervosus facit internodia poples;  
dumque manu temptat trahere exitiabile telum,  
altera per iugulum pennis tenuis acta sagitta est.  
Expulit hanc sanguis seque eiaculatus in altum  
emicat et longe terebrata prosilit aura.

115 Ultimus Ilioneus non profectura precando  
braccia sustulerat, „Di“que „o communiter omnes“,  
dixerat, ignarus non omnes esse rogandos,  
„parcite!“ Motus erat, cum iam revocabile telum  
non fuit, Arcitenens; minimo tamen occidit ille  
120 vulnere, non alte percusso corde sagitta.

Fama mali populique dolor lacrimaeque suorum  
tam subitae matrem certam fecere ruinae,  
mirantem potuisse irascentemque, quod ausi  
hoc essent superi, quod tantum iuris haberent.

125 Nam pater Amphion ferro per pectus adacto  
finierat moriens pariter cum luce dolorem.  
Heu, quantum haec Niobe Niobe distabat ab illa,  
quae modo Latois populum summo verat aris  
et mediam tulerat gressus resupina per urbem,

130 invidiosa suis: at nunc miseranda vel hosti!  
Corporibus gelidis incumbit et ordine nullo  
oscula dispensat natos suprema per omnes.

A quibus ad caelum liventia brachia tollens,  
„Pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore,

135 „pascere“, ait, „satiisque meo tua pectora luctu!  
„Efferor! Exsulta victrixque inimica triumphae! —  
„Cur autem victrix? Miserae mihi plura supersunt  
„quam tibi felici: post tot quoque funera vinco.“

Dixerat, et sonuit contento nervus ab arcu:

140 qui praeter Nioben unam conterruit omnes.  
Illa malo est audax. Stabant cum vestibus atris  
ante toros fratrum demisso crine sorores.

E quibus una trahens haerentia viscere tela  
imposito fratri moribunda relanguit ore.

145 Altera solari miseram conata parentem  
conticuit subito duplicataque vulnere caeco est.

Haec frustra fugiens collabatur, illa sorori  
immoritur; latet haec, illam trepidare videres.  
Sexque datis leto diversaque vulnera passis

150 ultima restabat; quam toto corpore mater,  
tota veste tegens, „Unam minimamque relinque!  
„De multis minimam posco“, clamavit, „et unam!“  
Dumque rogat, pro qua rogat, occidit. Orba resedit  
exanimes inter natos natasque virumque

155 deriguitque malis: nullos movet aura capillos,  
in vultu color est sine sanguine, lumina maestis  
stant immota genis; nihil est in imagine vivum.  
Ipsa quoque interius cum duro lingua palato

congelat et venae desistunt posse moveri;  
160 nec flecti cervix nec bracchia reddere motus  
nec pes ire potest: intra quoque viscera saxum est.  
Flet tamen, et validi circumdata turbine venti  
in patriam rapta est. Ibi fixa cacumine montis  
liquitur, et lacrimas etiam nunc marmora manant.

(VI. 146—312.)

### RANAE.

1 Tum vero cuncti manifestam numinis iram  
femina virque timent cultuque impensius omnes  
magna gemelliparae venerantur numina divae.  
Utque fit, a facto propiore priora renarrant.  
5 E quibus unus ait: „Lyciae quoque fertilis agris  
non impune deam veteres sprevere coloni.  
Res obscura quidem est ignobilitate virorum,  
mira tamen. Vidi praesens stagnumque locumque  
prodigio notum. Nam me iam grandior aevo  
10 impatiensque viae genitor deducere lectos  
iusserat inde boves gentisque illius eunti  
ipse ducem dederat. Cum quo dum pascua lustrō,  
ecce lacu medio sacrorum nigra favilla  
ara vetus stabat, tremulis circumdata cannis.  
15 Restitit et pavido, „Faveas mihi“, murmure dixit  
dux meus; et simili, „Faveas“, ego murmure dixi.  
Naiadum Faunine foret tamen ara, rogabam,  
indigenaevae dei, cum talia rettulit hospes:  
„Non hac, o iuvenis, montanum numen in ara est.  
20 „Illa suam vocat hanc, cui quondam regia coniunx  
„orbem interdixit, quam vix erratica Delos  
„orantem accepit, tum cum levis insula nabat.  
„Illic incumbens cum Palladis arbore palmae  
„edidit invita geminos Latona noverca.  
25 „Hinc quoque Iunonem fugisse puerpera fertur  
„inque suo portasse sinu duo numina, natos.  
„Iamque Chimaeriferae, cum sol gravis ureret arva,  
„finibus in Lyciae longo dea fessa labore  
„sidereo siccata sitim collegit ab aestu

- 30 „uberaque ebiberant avidi lactantia nati.  
 „Forte lacum mediocris aquae prospexit in imis  
 „vallibus. Agrestes illic fruticosa legebant  
 „vimina cum iuncis gratamque paludibus ulvam.  
 „Accessit postpositoque genu Titania terram
- 35 „pressit, ut hauriret gelidos potura liquores.  
 „Rustica turba vetat. Dea sic affata vetantes:  
 „ „Quid prohibetis aquis? Usus communis aquarum est.  
 „ „Nec solem proprium natura nec aëra fecit  
 „ „nec tenues undas: ad publica munera veni.
- 40 „ „Quae tamen ut detis, supplex peto. Non ego nostros  
 „ „abluere hic artus lassataque membra parabam,  
 „ „sed relevare sitim. Caret os umore loquentis  
 „ „et fauces arent vixque est via vocis in illis.  
 „ „Haustus aquae mihi nectar erit vitamque fatebor
- 45 „ „accepisse simul: vitam dederitis in unda.  
 „ „Hi quoque vos moveant, qui nostro bracchia tendunt  
 „ „parva sinu;“ et casu tendebant bracchia nati.  
 „ „Quem non blanda deae potuissent verba movere?  
 „ „Hi tamen orantem perstant prohibere minasque,
- 50 „ni procul abscedat, conviciaque insuper addunt.  
 „Nec satis est: ipsos etiam pedibusque manuque  
 „turbavere lacus imoque e gurgite mollem  
 „huc illuc limum saltu movere maligno.  
 „Distulit ira sitim. Neque enim iam filia Coei
- 55 „supplicat indignis nec dicere sustinet ultra  
 „verba minora dea tollensque ad sidera palmas,  
 „ „Aeternum stagno,“ dixit, „vivatis in isto!“  
 „Eveniunt optata deae. Iuvat esse sub undis  
 „et modo tota cava submergere membra palude,
- 60 „nunc proferre caput, summo modo gurgite nare,  
 „saepe super ripam stagni consistere, saepe  
 „in gelidos resilire lacus. Et nunc quoque turpes  
 „litibus exercent linguas pulsoque pudore,  
 „quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere temptant.
- 65 „Vox quoque iam rauca est inflataque colla tumescunt  
 „ipsaque dilatant patulos convicia rictus.  
 „Terga caput tangunt; colla intercepta videntur;

„spina viret; verenter, pars maxima corporis, albet:  
„limosoque novae saliunt in gurgite ranae.“

(VI. 313—381.)

### PHILEMON ET BAUCIS.

- 1 Ante omnesque Lelex, animo maturus et aevo, 103  
sic ait: „Immensa est finemque potentia caeli  
„non habet, et quidquid superi voluere, peractum est.  
„Quoque minus dubites, tiliae contermina quercus  
5 „collibus est Phrygiis, modico circumdata muro.  
„Ipse locum vidi; nam me Pelopeia Pittheus  
„misit in arva suo quondam regnata parenti.  
„Haud procul hinc stagnum est, tellus habitabilis olim,  
„nunc celebres mergis fulicisque palustribus undae.  
10 „Iuppiter huc specie mortali cumque parente  
„venit Atlantiades positis caducifer alis.  
„Mille domos adiere locum requiemque petentes:  
„mille domos clausere serae. Tamen una recepit,  
„parva quidem, stipulis et canna tecta palustri,  
15 „sed pia Baucis anus parilique aetate Philemon  
„illa sunt annis iuncti iuvenalibus, illa  
„consenuere casa paupertatemque fatendo  
„effecere levem nec iniqua mente ferendo.  
„Nec refert, dominos illic famulosne requiras:  
20 „tota domus duo sunt, idem parentque iubentque.  
„Ergo ubi caelicolae parvos tetigere penates  
„summissoque humiles intrarunt vertice postes,  
„membra senex posito iussit relevare sedili,  
„quo super iniecit textum rude sedula Baucis.  
25 Inde foco tepidum cinerem dimovit et ignes  
„suscitat hesternos foliisque et cortice sicco  
„nutrit et ad flammam anima producit anili;  
„multifidasque faces ramaliaque arida tecto  
„detulit et minuit parvoque admovit aëno;  
30 „quodque suus coniunx riguo collegerat horto,  
„truncat holus foliis. Furca levat ille bicorni  
„sordida terga suis nigro pendentia tigno,  
„servatoque diu resecat de tergo partem

„exiguam sectamque domat ferventibus undis.  
 35 „Interea medias fallunt sermonibus horas  
 „sentirique moram prohibent. Erat alveus illic  
 „fagineus, dura clavo suspensus ab ansa.  
 „Is tepidis impletur aquis artusque fovendos  
 „accipit. In medio torus est de mollibus ulvis,  
 40 „impositus lecto sponda pedibusque salin<sup>g</sup>is.  
 „Vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo  
 „sternere consuerant; sed et haec vilisque vetusque  
 „vestis erat, lecto non indignanda saligno.  
 „Accubuere dei. Mensam succincta tremensque  
 45 „ponit anus; mensae sed erat pes tertius impar:  
 „testa parem fecit. Quae postquam subdita clivum  
 „sustulit, aequatam mentae tersere virentes.  
 „Ponitur hic bicolor sinceræ baca Minervæ  
 „conditaque in liquida corna autumnalia faeae  
 50 „intibaque et radix et lactis massa coacti  
 „ovaque non acri leviter versata favilla:  
 „omnia fictilibus. Post hæc caelatus eodem  
 „sistitur argento crater fabricataque fago  
 „pocula, qua cava sunt, flaventibus illita ceris.  
 55 „Parva mora est epulasque foci misere calentes;  
 „nec longæ rursus referuntur vina senectæ  
 „dantque locum mensis paulum seducta secundis.  
 „Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis  
 „prunaque et in patulis redolentia mala canistris  
 60 „et de purpureis collectæ vitibus uvæ.  
 „Candidus in medio favus est. Super omnia vultus  
 „accessere boni nec iners pauperque voluntas.  
 „Interea totiens haustum cratera repleti  
 „sponte sua per seque vident succrescere vina.  
 65 „Attoniti novitate pavent manibusque supinis  
 „concipiunt Baucisque preces timidusque Philemon  
 „et veniam dapibus nullisque paratibus orant.  
 „Unicus anser erat, minimæ custodia villæ,  
 „quem dis hospitibus domini mactare parabant.  
 70 „Ille celer penna tardos ætate fatigat  
 „eluditque diu tandemque est visus ad ipsos

„confugisse deos. Superi vetuere necari,  
 „„Di“que „sumus meritasque luet vicinia poenas  
 „„impia“, dixerunt. „Vobis immunibus huius  
 75 „„esse mali dabitur, modo vestra relinquite tecta  
 „„ac nostros comitate gradus et in ardua montis  
 „„ite simul.“ Parent ambo baculisque levati  
 „nituntur longo vestigia ponere clivo.  
 „Tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta  
 80 „missa potest; flexere oculos et mersa palude  
 „cetera prospiciunt, tantum sua tecta manere.  
 „Dumque ea mirantur, dum deflent fata suorum,  
 „illa vetus, dominis etiam casa parva duobus  
 „vertitur in templum: furcas subiere columnae,  
 85 „stramina flavescunt aurataque tecta videntur  
 „caelataeque fores adopertaque marmore tellus.  
 „Talia tum placido Saturnius edidit ore:  
 „„Dicite, iuste senex et femina coniuge iusto  
 „„digna, quid optetis.“ Cum Baucide pauca locutus  
 90 „iudicium superis aperit commune Philemon:  
 „„Esse sacerdotes delubraque vestra tueri  
 „„poscimus; et quoniam concordēs egimus annos,  
 „„auferat hora duos eadem nec coniugis umquam  
 „„busta meae videam neu sim tumulandus ab illa.“  
 95 „Vota fides sequitur: templi tutela fuere,  
 „donec vita data est. Annis aevoque soluti  
 „ante gradus sacros cum starent forte locique  
 „narrarent casus, frondere Philemona Baucis,  
 „Baucida conspexit senior frondere Philemon.  
 100 „Iamque super geminos crescente cacumine vultus  
 „mutua, dum licuit, reddebant dicta, „Vale“que  
 „„o coniunx“, dixere simul, simul abdita texit  
 „ora frutex. Ostendit adhuc Thymbreius illic  
 „incola de gemino vicinos corpore truncos.  
 105 „Haec mihi non vani (neque erat, cur fallere vellent)  
 „narravere senes. Equidem pendentia vidi  
 „serta super ramos ponensque recentia dixi:  
 „„Cura deum di sint et, qui coluere, colantur““.

(VIII. 617—724.)

# TRISTIA.

## LIBER I.

### 3. CUM SUBIT ILLIUS TRISTISSIMA NOCTIS IMAGO.

104 <sup>1</sup> Cum subit illius tristissima noctis imago,  
qua mihi supremum tempus in Urbe fuit,  
cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,  
labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.

<sup>5</sup> Iam prope lux aderat, cum me discedere Caesar  
finibus extremae iusserat Ausoniae,  
nec spatium nec mens fuerat satis apta parandi:  
torpuerant longa pectora nostra mora;  
non mihi servorum, comites non cura legendi,

<sup>10</sup> non aptae profugo vestis opisve fuit.  
Non aliter stupui, quam qui Iovis ignibus ictus  
vivit et est vitae nescius ipse suae.  
Ut tamen hanc animi nubem dolor ipse removit  
et tandem sensus convaluere mei,

<sup>15</sup> alloquor extremum maestos abiturus amicos,  
qui modo de multis unus et alter erat.  
Uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat  
imbrem per indignas usque cadente genas.  
Nata procul Libycis aberat diversa sub oris

<sup>20</sup> nec poterat fati certior esse mei.  
Quocumque aspiceres, luctus gemitusque sonabant  
formaque non taciti funeris intus erat;  
femina virque meo, pueri quoque funere maerent,  
inque domo lacrimas angulus omnis habet:

<sup>25</sup> si licet exemplis in parvis grandibus uti,  
haec facies Troiae, cum caperetur, erat.  
Iamque quiescebant voces hominumque canumque

Lunaque nocturnos alta regebat equos :  
 hanc ego suspiciens et ad hanc Capitolia cernens,  
 30 quae nostro frustra iuncta fuere lari,  
 „Numina vicinis habitantia sedibus“, inquam,  
 „iamque oculis numquam templa videnda meis,  
 dique relinquendi, quos urbs habet alta Quirini,  
 este salutati tempus in omne mihi!  
 35 Et, quamquam sero clipeum post vulnera sumo,  
 attamen hanc odiis exonerate fugam  
 caelestique viro, quis me deceperit error,  
 dicite, pro culpa ne scelus esse putet,  
 ut, quod vos scitis, poenae quoque sentiat auctor :  
 40 placato possum non miser esse deo.“  
 Hac prece adoravi superos ego, pluribus uxor,  
 singultu medios impediens sonos ;  
 illa etiam ante lares passis astrata capillis  
 contigit extinctos ore tremente focos  
 45 multaque in adversos effudit verba penates  
 pro deplorato non valitura viro.  
 Iamque morae spatium nox praecipitata negabat,  
 versaque ab axe suo Parrhasis arctos erat.  
 Quid facerem? Blando patriae retinebar amore ;  
 50 ultima sed iussae nox erat illa fugae!  
 A! quotiens aliquo dixi properante: „Quid urges?  
 Vel quo festinas ire, vel unde, vide!“  
 A! quotiens certam me sum mentitus habere  
 horam, propositae quae foret apta viae.  
 55 Ter limen tetigi, ter sum revocatus et ipse  
 indulgens animo pes mihi tardus erat.  
 Saepe vale dicto rursus sum multa locutus  
 et quasi discedens oscula summa dedi.  
 Saepe eadem mandata dedi meque ipse fefelli  
 60 respiciens oculis pignora cara meis.  
 Denique, „Quid propero? Scythia est, quo mittimur“, inquam,  
 „Roma relinquenda est: utraque iusta mora est!  
 Uxor in aeternum vivo mihi viva negatur  
 et domus et fidae dulcia membra domus,  
 65 quosque ego dilexi fraterno more sodales,

o mihi Thesea pectora iuncta fide!  
 Dum licet, amplectar: numquam fortasse licebit  
 amplius: in lucro est, quae datur hora mihi.“  
 Nec mora, sermonis verba imperfecta relinquo  
 70 complectens animo proxima quaeque meo.  
 Dum loquor et flemus, caelo nitidissimus alto,  
 stella gravis nobis, Lucifer ortus erat.  
 Dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam  
 et pars abrumpi corpore visa suo est;  
 75 sic doluit Mettus tunc, cum in contraria versos  
 ultores habuit proditionis equos.  
 Tum vero exoritur clamor gemitusque meorum  
 et feriunt maestae pectora nuda manus:  
 tum vero coniunx umeris abeuntis inhaerens  
 80 miscuit haec lacrimis tristia verba meis:  
 „Non potes avelli! Simul hinc, simul ibimus“, inquit,  
 „te sequar et coniunx exulis exul ero.  
 Et mihi facta via est, et me capit ultima tellus:  
 accedam profugae sarcina parva rati.  
 85 Te iubet a patria discedere Caesaris ira,  
 me pietas. Pietas haec mihi Caesar erit!“  
 Talia temptabat, sicut temptaverat ante,  
 vixque dedit victas utilitate manus.  
 Egredior, sive illud erat sine funere ferri,  
 90 squalidus immissis hirta per ora comis.  
 Illa dolore amens tenebris narratur obortis  
 semianimis media procubuisse domo.  
 Utque resurrexit foedatis pulvere turpi  
 crinibus et gelida membra levavit humo,  
 95 se modo, desertos modo complorasse penates,  
 nomen et erepti saepe vocasse viri  
 nec gemuisse minus, quam si natae virique  
 vidisset structos corpus habere rogos,  
 et voluisse mori, moriendo ponere sensus,  
 100 respectuque tamen non periisse mei.  
 Vivat! Et absentem, quoniam sic fata tulerunt,  
 vivat, ut auxilio sublevet usque suo!

## 10. ILLE EGO QUI FUERIM.

- 1 Ille ego qui fuerim, tenerorum lusor amorum,  
 quem legis, ut noris, accipe posteritas!  
 Sulmo mihi patria est gelidis uberrimus undis,  
 milia qui novies distat ab Urbe decem;  
 5 editus hic ego sum, nec non, ut tempora noris,  
 cum cecidit fato consul uterque pari,  
 si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,  
 non modo fortunae munere factus eques.  
 Nec stirps prima fui, genito sum fratre creatus,  
 10 qui tribus ante quater mensibus ortus erat;  
 Lucifer amborum natalibus affuit idem,  
 una celebrata est per duo liba dies:  
 haec est armiferae festis de quinque Minervae,  
 quae fieri pugna prima cruenta solet.  
 15 Protinus excolimur teneri curaque parentis  
 imus ad insignes Urbis ab arte viros:  
 frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo,  
 fortia verbosi natus ad arma fori,  
 at mihi iam puero caelestia sacra placebant  
 20 inque suum furtim Musa trahebat opus.  
 Saepe pater dixit: „Studium quid inutile temptas?  
 Maeonides nullas ipse reliquit opes.“  
 Motus eram dictis totoque Helicone relicto  
 scribere temptabam verba soluta modis.  
 25 Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos  
 et, quod temptabam scribere, versus erat,  
 interea tacito passu labentibus annis  
 liberior fratri sumpta mihiq̄ue toga est  
 induiturque umeris cum lato purpura clavo  
 30 et studium nobis, quod fuit ante, manet.  
 Iamque decem vitae frater geminaverat annos,  
 cum perit, et coepi parte carere mei.  
 Cepimus et tenerae primos aetatis honores  
 eque viris quondam pars tribus una fui.  
 35 Curia restabat: clavi mensura coacta est;

maius erat nostris viribus illud onus  
 nec patiens corpus. nec mens fuit apta labori  
 sollicitaeque fugax ambitionis eram,  
 et petere Aoniae suadebant tuta sorores  
 40 otia iudicio semper amata meo.  
 Temporis illius colui fovique poëtas,  
 quotque aderant vates, rebar adesse deos:  
 saepe suas volucres legit mihi grandior aevo,  
 quaeque nocet serpens, quae iuvat herba, Macer;  
 45 saepe suos solitus recitare Propertius ignes  
 iure sodalicii, quo mihi iunctus erat;  
 Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambis  
 dulcia convictus membra fuere mei,  
 et tenuit nostras numerosus Horatius aures,  
 50 dum ferit Ausonia carmina culta lyra;  
 Vergilium vidi tantum, nec avara Tibullo  
 tempus amicitiae fata dedere meae;  
 successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi,  
 quartus ab his serie temporis ipse fui.  
 55 Utque ego maiores, sic me coluere minores  
 notaque non tarde facta Thalia mea est.  
 Carmina cum primum populo iuvenalia legi,  
 barba resecta mihi bisve semelve fuit;  
 moverat ingenium totam cantata per Urbem  
 60 nomine non vero dicta Corinna mihi.  
 Multa quidem scripsi, sed, quae vitiosa putavi,  
 emendaturis ignibus ipse dedi;  
 tunc quoque, cum fugerem, quaedam placitura cremavi  
 iratus studio carminibusque meis.  
 65 Molle Cupidineis nec inexpugnabile telis  
 cor mihi, quodque levis causa moveret, erat;  
 cum tamen hic essem minimoque accenderer igni,  
 nomine sub nostro fabula nulla fuit.  
 Paene mihi puero nec digna nec utilis uxor  
 70 est data, quae tempus per breve nupta fuit;  
 illi successit quamvis sine crimine coniunx,  
 non tamen in nostro firmam futura toro;  
 ultima, quae mecum seros permansit in annos,

sustinuit coniunx exulis esse viri.  
 75 Filia me mea bis prima fecunda iuventa,  
 sed non ex uno coniuge, fecit avum.  
 Et iam complebat genitor sua fata novemque  
 addiderat lustris altera lustra novem:  
 non aliter flevi, quam me fleturus ademptum  
 80 ille fuit; matris proxima busta tuli.  
 Felices ambo tempestiveque sepulti,  
 ante diem poenae quod periere meae!  
 Me quoque felicem, quod non viventibus illis  
 sum miser et de me quod doluere nihil!  
 85 Si tamen extinctis aliquid nisi nomina restant  
 et gracilis structos effudit umbra rogos,  
 fama, parentales, si vos mea contigit, umbrae,  
 et sunt in Stygio crimina nostra foro,  
 scite, precor, causam — nec vos mihi fallere fas est —  
 90 errorem iussae, non scelus, esse fugae.  
 Manibus hoc satis est! Ad vos, studiosa, revertor,  
 pectora, quae vitae quaeritis acta meae.  
 Iam mihi canities pulsus melioribus annis  
 venerat antiquas miscueratque comas  
 95 postque meos ortus Pisaea vinctus oliva  
 abstulerat decies praemia victor eques,  
 cum maris Euxini positos ad laeva Tomitas  
 quaerere me laesi principis ira iubet;  
 causa meae cunctis nimium quoque nota ruinae  
 100 indicio non est testificanda meo.  
 Quid referam comitumque nefas famulosque nocentes?  
 Ipsa multa tuli non leviora fuga.  
 Indignata malis mens est succumbere seque  
 praestitit invictam viribus usa suis  
 105 oblitusque mei ductaeque per otia vitae  
 insolita cepi temporis arma manu  
 totque tuli terra casus pelagoque, quot inter  
 occultum stellae conspicuumque polum;  
 tacta mihi tandem longis erroribus acto  
 110 iuncta pharetratis Sarmatis ora Getis.  
 Hic ego finitimis quamvis circumsoner armis,

tristia, quo possum, carmine fata levo,  
quod quamvis nemo est, cuius referatur ad aures,  
sic tamen absumo decipioque diem.

<sup>115</sup> Ergo, quod vivo durisque laboribus obsto  
nec me sollicitae taedia lucis habent,  
gratia, Musa, tibi! Nam tu solacia praebes,  
tu curae requies, tu medicina venis;  
tu dux et comes es; tu nos abducis ab Histro,

<sup>120</sup> in medioque mihi das Helicone locum,  
tu mihi, quod rarum est, vivo sublime dedisti  
nomen, ab exequiis quod dare fama solet,  
nec, qui detractat praesentia, Livor iniquo  
illum de nostris dente momordit opus.

<sup>125</sup> Nam tulerint magnos cum saecula nostra poëtas,  
non fuit ingenio fama maligna meo,  
cumque ego praeponam multos mihi, non minor illis  
dicor et in toto plurimus orbe legor.

Si quid habent igitur vatum praesagia veri,  
<sup>130</sup> protinus ut moriar, non ero, terra, tuus;  
sive favore tuli sive hanc ego carmine famam,  
iure tibi grates, candide lector, ago.

M. TULLIUS CICERO

## ORATIO IN CATILINAM PRIMA

### IN SENATU HABITA.

I. Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? <sup>1</sup> 106  
Quam diu etiam furor iste tuus eludet? Quem ad finem sese  
effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesi-  
dium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil con-  
cursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi sena-  
tus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere tua  
consilia non sentis? constrictam iam horum omnium scientia  
teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid  
superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consi-  
lii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?

O tempora! O mores! Senatus haec intellegit, consul videt: <sup>2</sup>  
hic tamen vivit! Vivit? Immo vero etiam in senatum venit,  
fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad caedem  
unumquemque nostrum. Nos autem, fortes viri, satis facere  
rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus.

Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem  
oportebat, in te conferri pestem istam, quam tu in nos machi-  
naris. An vero vir amplissimus P. Scipio, pontifex maximus, <sup>3</sup>  
Ti. Gracchum, mediocriter labefactantem statum rei publicae  
privatus interfecit: Catilinam, orbem terrae caede atque incen-  
diis vastare cupientem nos consules perferemus? Nam illa  
nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala Sp. Maelium  
novis rebus studentem manu sua occidit. Fuit, fuit ista quon-  
dam in hac re publica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis  
civem perniciosum quam acerbissimum hostem coërcerent.  
Habemus senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave;

non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus.

107<sup>4</sup> II. Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius consul videret, ne quid res publica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit — interfectus est propter quasdam seditio-  
num suspiciones C. Gracchus, clarissimo patre, avo, maioribus; occisus est cum liberis M. Fulvius consularis. Simili senatus consulto C. Mario et L. Valerio consulibus est permissa res publica: num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebis et C. Servilium praetorem mors ac rei publicae poena remorata est? At nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim huius modi senatus consultum, verum inclusum in tabulis, tamquam in vagina reconditum, quo ex senatus consulto confestim te interfectum esse, Catilina, convenit.

Vivis, et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, patres conscripti, me esse clementem, cupio in tantis rei publicae periculis me non dissolutum videri: sed iam me ipse inertiae nequitiaeque condemno.

<sup>5</sup> Castra sunt in Italia contra populum Romanum in Etruriae faucibus collocata, crescit in dies singulos hostium numerus; eorum autem castrorum imperatorem ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu videmus intestinam aliquam cotidie perniciem rei publicae molientem. Si te iam, Catilina, comprehendi, si interfici iussero, credo, erit verendum mihi, ne non potius hoc omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat.

Verum ego hoc, quod iam pridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor, ut faciam. Tum denique interficere, cum iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non iure factum esse fateatur. <sup>6</sup> Quam diu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives, sed vives ita, ut vivis, multis meis et firmis praesidiis obsessus, ne commovere te contra rem publicam possis. Multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient.

108 III. Etenim quid est, Catilina, quod iam amplius expectes, si neque nox tenebris obscurare coetus nefarios neque pri-

vata domus parietibus continere voces coniurationis tuae potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? — Muta iam istam mentem, mihi crede; obliviscere caedis atque incendiorum. Teneris undique; luce sunt clariora nobis tua consilia omnia, quae iam mecum licet recognoscas.

Meministine me ante diem XII Kalendas Novembres <sup>7</sup> dicere in senatu fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem VI Kalendas Novembres, C. Manlium, audaciae satellitem atque administrum tuae? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox tamque incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in senatu caedem te optimatum contulisse in ante diem V Kalendas Novembres, tum cum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num infitiri potes te illo die, meis praesidiis, mea diligentia circumclusum commovere te contra rem publicam non potuisse, cum tu discessu ceterorum nostra tamen, qui remansissemus, caede te contentum esse dicebas? Quid? cum tu te Praeneste Kalendis ipsis Novembribus occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensistine illam coloniam meo iussu meis praesidiis, custodiis, vigiliis esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod non ego non modo audiam, sed etiam videam planeque sentiam.

IV. Recognosce mecum tandem noctem illam superio- 109  
rem: iam intelleges multo me vigilare acrius ad salutem quam te ad perniciem rei publicae. Dico te priore nocte venisse inter falcarios — non agam obscure — in M. Laecae domum; convenisse eodem complures eiusdem amentiae scelerisque socios. Num negare audes? Quid taces? Convincam, si negas; video enim esse hic in senatu quosdam, qui tecum una fuerunt.

O di immortales! ubinam gentium sumus? in qua urbe <sup>9</sup> vivimus? quam rem publicam habemus? Hic, hic sunt, in nostro numero, patres conscripti, in hoc orbis terrae sanctissimo gravissimoque consilio, qui de nostro omnium interitu, qui de huius urbis atque adeo de orbis terrarum exitio cogitent! Hos ego video consul et de re publica sententiam rogo et, quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero.

Fuisti igitur apud Laecam illa nocte, Catilina; distribuisti partes Italiae; statuisti, quo quemque proficisci placeret; delegisti, quos Romae relinqueres, quos tecum educeres; discripsisti urbis partes ad incendia; confirmasti te ipsum iam esse exiturum, dixisti paululum tibi esse etiam nunc morae, quod ego viverem. Reperti sunt duo equites Romani, qui te ista cura liberarent et sese illa ipsa nocte paulo ante  
10 lucem me in meo lectulo interfecturos esse pollicerentur. Haec ego omnia, vixdum etiam coetu vestro dimisso, comperi; domum meam maioribus praesidiis munivi atque firmavi; exclusi eos, quos tu ad me salutatum mane miseras, cum illi ipsi venissent, quos ego iam multis ac summis viris ad me id temporis venturos praedixeram.

110 V. Quae cum ita sint, Catilina, perge, quo coepisti: egredere aliquando ex urbe; patent portae: proficiscere. Nimium diu te imperatorem tua illa Manliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos, si minus, quam plurimos; purga urbem. Magno me metu liberabis, dum modo inter me atque te murus intersit. Nobiscum versari iam diutius non potes: non feram, non patiar, non sinam.

11 Magna dis immortalibus habenda est atque huic ipsi Iovi Statori, antiquissimo custodi huius urbis, gratia, quod hanc tam taetram, tam horribilem tamque infestam rei publicae pestem totiens iam effugimus. Non est saepius in uno homine summa salus periclitanda rei publicae. Quam diu mihi consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi. Cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores tuos interficere voluisti, compressi conatus tuos nefarios amicorum praesidio et copiis nullo tumultu publice concitato: denique, quotienscumque me petisti, per me tibi obstiti, quamquam videbam perniciem meam cum magna calamitate rei  
12 publicae esse coniunctam. Nunc iam aperte rem publicam universam petis; templa deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam ad exitium ac vastitatem vocas.

Quare, quoniam id, quod est primum et quod huius imperii disciplinaeque maiorum proprium est, facere nondum

audeo, faciam id, quod est ad severitatem lenius et ad communem salutem utilius. Nam si te interfici iussero, residebit in re publica reliqua coniuratorum manus; sin tu, quod te iam dudum hortor, exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et pernicioosa sentina rei publicae.

Quid est, Catilina? num dubitas id me imperante facere, <sup>13</sup> quod iam tua sponte faciebas? Exire ex urbe iubet consul hostem. Interrogas me: num in exsilium? Non iubeo, sed, si me consulis, suadeo.

VI. Quid est enim, Catilina, quod te iam in hac urbe delectare possit? in qua nemo est extra istam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo, qui non oderit. 111

Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? Quod privatarum rerum dedecus non haeret in fama? quae libido ab oculis, quod facinus a manibus umquam tuis, quod flagitium a toto corpore afuit? Cui tu adulescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum aut ad libidinem facem praetulisti? Quid vero? <sup>14</sup> nuper, cum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod ego praetermitto et facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse aut non vindicata esse videatur. Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties: ad illa venio, quae non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem, sed ad summam rem publicam atque ad omnium nostrum vitam salutemque pertinent.

Potestne tibi haec lux, Catilina, aut huius caeli spiritus <sup>15</sup> esse iucundus, cum scias esse horum neminem, qui nesciat te pridie Kalendas Ianuarias Lepido et Tullo consulibus stetisse in comitio cum telo? manum consulum et principum civitatis interficiendorum causa paravisse? sceleri ac furori tuo non mentem aliquam aut timorem tuum, sed fortunam populi Romani obstitisse? Ac iam illa omitto — neque enim sunt aut obscura aut non multa commissa postea — quotiens tu me designatum, quotiens consulem interficere voluisti! quot ego tuas petitiones ita coniectas, ut vitari posse non videren-

tur, parva quadam declinatione et, ut aiunt, corpore effugi! Nihil assequeris, neque tamen conari ac velle desistis.  
16 Quotiens tibi iam extorta est sica ista de manibus! quotiens excidit casu aliquo et elapsa est! quae quidem quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio, quod eam necesse putas esse in consulis corpore defigere.

112

VII. Nunc vero quae tua est ista vita? Sic enim iam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur. Venisti paulo ante in senatum. Quis te ex hac tanta frequentia, tot ex tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, cum sis gravissimo iudicio taciturnitatis oppressus? Quid? quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt, quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt, simul atque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt, quo tandem animo hoc tibi ferendum putas?

17 Servi, mehercule, mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem; tu tibi urbem non arbitraris? Et si meis me civibus iniuria suspectum tam graviter atque offensum viderem, carere me aspectu civium quam infestis omnium oculis conspici mallet; tu, cum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium iustum et iam diu tibi debitum, dubitas, quorum mentes sensusque vulneras, eorum aspectum praesentiamque vitare? Si te parentes timerent atque odissent tui nec eos ulla ratione placare posses, ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes; nunc te patria, quae communis est parens omnium nostrum, odit ac metuit et iam diu nihil te iudicat nisi de parricidio suo cogitare: huius tu neque auctoritatem verebere nec iudicium sequere nec vim pertimesces?

18 Quae tecum, Catilina, sic agit et quodam modo tacita loquitur: „Nullum iam aliquot annis facinus exstitit nisi per te, nullum flagitium sine te; tibi uni multorum civium necesse, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera; tu non solum ad neglegendas leges et quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tui;

nunc vero me totam esse in metu propter unum te, quidquid increpauerit, Catilinam timeri, nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quam ob rem discede atque hunc mihi timorem eripe; si est verus, ne opprimar, sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.“

VIII. Haec si tecum ita, ut dixi, patria loquatur, nonne <sup>19</sup> 113 impetrare debeat, etiam si vim adhibere non possit? Quid, quod tu te ipse in custodiam dedisti? quod vitandae suspicionis causa ad M'. Lepidum te habitare velle dixisti? A quo non receptus etiam ad me venire ausus es atque, ut domi meae te asservarem, rogasti. Cum a me quoque id responsum tulisses me nullo modo posse isdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem, quod isdem moenibus contineremur, ad Q. Metellum praetorem venisti; a quo repudiatus ad sodalem tuum, virum optimum, M. Metellum demigrasti, quem tu videlicet et ad custodiendum diligentissimum et ad suspicandum sagacissimum et ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipse iam dignum custodia iudicavit?

Quae cum ita sint, Catilina, dubitas, si emori aequo <sup>20</sup> animo non potes, abire in aliquas terras et vitam istam multis suppliciis iustis debitisque ereptam fugae solitudinique mandare?

„Refer“, inquis, „ad senatum“; id enim postulas et, si hic ordo sibi placere decreverit te ire in exsilium, obtemperatum te esse dicis. Non referam, id quod abhorret a meis moribus, et tamen faciam, ut intellegas, quid hi de te sentiant. Egredere ex urbe, Catilina, libera rem publicam metu, in exsilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere! Quid est, Catilina? ecquid attendis, ecquid animadvertis horum silentium? Patiuntur, tacent. Quid exspectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? At si hoc <sup>21</sup> idem huic adulescenti optimo P. Sestio, si fortissimo viro M. Marcello dixissem, iam mihi consuli hoc ipso in templo senatus iure optimo vim et manus intulisset. De te autem, Catilina, cum quiescunt, probant, cum patiuntur, decernunt,

cum tacent, clamant: neque hi solum, quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima, sed etiam illi equites Romani, honestissimi atque optimi viri, ceterique fortissimi cives, qui circumstant senatum, quorum tu et frequentiam videre et studia perspicere et voces paulo ante exaudire potuisti. Quorum ego vix abs te iam diu manus ac tela contineo, eosdem facile adducam, ut te haec, quae iam pridem vastare studes, relinquentem usque ad portas prosequantur.

114<sup>22</sup>

IX. Quamquam quid loquor? Te ut ulla res frangat? tu ut umquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditare? tu ut exsilium cogites? Utinam tibi istam mentem di immortales duint! etsi video, si mea voce perterritus ire in exsilium animum induxeris, quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat. Sed est tanti, dum modo ista sit privata calamitas et a rei publicae periculis seiungatur. Sed tu ut vitiis tuis commoveare, ut legum poenas pertimescas, ut temporibus rei publicae cedas, non est postulandum. Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor umquam a turpitudine aut metus a periculo aut ratio a furore revocaverit. Quam ob rem, ut saepe iam dixi, proficiscere ac, si mihi inimico, ut praedicas, tuo conflare vis invidiam, recta perge in exsilium: vix feram sermones hominum, si id feceris, vix molem istius invidiae, si in exsilium iussu consulis ieris, sustinebo. Sin autem servire meae laudi et gloriae mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu, confer te ad Manlium, concita perditos cives, secerne te a bonis, infer patriae bellum, exsulta impio latrocinio, ut a me non eiectus ad alienos, sed invitatus ad tuos esse videaris.

24

Quamquam quid ego te invitem, a quo iam sciam esse praemissos, qui tibi ad Forum Aurelium praestolarentur armati? cui sciam pactam et constitutam cum Manlio diem? a quo etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus perniciosam esse confido ac funestam futuram, cui domi tuae sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse praemissam? Tu ut illa carere diutius possis, quam venerari ad caedem proficiscens solebas, a cuius altaribus saepe istam impiam dexteram ad necem civium transtulisti?

X. Ibis tandem aliquando, quo te iam pridem ista tua <sup>25</sup> 115  
cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. Neque enim tibi haec  
res affert dolorem, sed quandam incredibilem voluptatem.  
Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, for-  
tuna servavit. Numquam tu non modo otium, sed ne bellum  
quidem nisi nefarium concupisti. Nactus es ex perditis  
atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis  
conflatam improborum manum. Hic tu qua laetitia per- <sup>26</sup>  
fruere! quibus gaudiis exsultabis! quanta in voluptate bac-  
chabere, cum in tanto numero tuorum neque audies virum  
bonum quemquam neque videbis! Habes, ubi ostentes tuam  
illam praeclaram patientiam famis, frigoris, inopiae rerum  
omnium, quibus te brevi tempore confectum esse senties. Tan- <sup>27</sup>  
tum profeci tum, cum te a consulatu reppuli, ut exsul potius  
temptare quam consul vexare rem publicam posses, atque ut  
id, quod est abs te scelerate susceptum, latrocinium potius  
quam bellum nominaretur.

XI. Nunc ut a me, patres conscripti, quandam prope 116  
iustam patriae querimoniam detester ac deprecer, percipite,  
quaeso, diligenter, quae dicam, et ea penitus animis vestris  
mentibusque mandate.

Etenim si mecum patria, quae mihi vita mea multo est  
carior, si cuncta Italia, si omnis res publica loquatur: „M.  
Tulli, quid agis? Tune eum, quem esse hostem comperisti,  
quem ducem belli futurum vides, quem exspectari imperato-  
rem in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem  
coniurationis, evocatore servorum et civium perditorum,  
exire patiere, ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus  
in urbem esse videatur? Nonne hunc in vincula duci, non ad  
mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis?

Quid tandem te impedit? Mosne maiorum? At persaepe <sup>28</sup>  
etiam privati in hac re publica perniciosos cives morte mul-  
tarunt. An leges, quae de civium Romanorum supplicio roga-  
tae sunt? At numquam in hac urbe, qui a re publica defece-  
runt, civium iura tenuerunt. An invidiam posteritatis times?  
Praeclaram vero populo Romano refert gratiam, qui te, homi-  
nem per te cognitum, nulla commendatione maiorum tam ma-  
ture ad summum imperium per omnes honorum gradus ex-

tulit, si propter invidiae aut alicuius periculi metum salutem  
29 civium tuorum negligis. Sed si quis est invidiae metus,  
num est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia quam  
inertiae ac nequitiae pertimescenda? An, cum bello vastabi-  
tur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non ex-  
istimas invidiae incendio conflagraturum?"

117 XII. His ego sanctissimis rei publicae vocibus et  
eorum hominum, qui hoc idem sentiunt, mentibus pauca re-  
spondebo. Ego, si hoc optimum factu iudicarem, patres conscri-  
pti, Catilinam morte multari, unius usuram horae gladi-  
atorum isti ad vivendum non dedissem. Etenim si summi viri et  
clarissimi cives Saturnini et Gracchorum et Flacci et superi-  
orum complurium sanguine non modo se non contaminarunt,  
sed etiam honestarunt, certe verendum mihi non erat, ne  
quid hoc parricida civium interfecto invidiae mihi in po-  
steritatem redundaret. Quid si ea mihi maxime impenderet,  
tamen hoc animo fui semper, ut invidiam virtute partam  
gloriam, non invidiam putarem.

30 Quamquam nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quae  
imminent, non videant, aut ea, quae vident, dissimulent;  
qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt coniuratio-  
nemque nascentem non credendo corroboraverunt, quorum  
auctoritatem secuti multi non solum improbi, verum etiam  
imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie fac-  
tum esse dicerent. Nunc intellego, si iste, quo intendit,  
in Manliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore,  
qui non videat coniurationem esse factam, neminem tam  
improbum, qui non fateatur.

Hoc autem uno interfecto intellego hanc rei publicae  
pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi  
posse. Quod si se eiecerit secumque suos eduxerit (et eodem  
ceteros undique collectos naufragos aggregaverit), extingue-  
tur atque delebitur non modo haec tam adulta rei publicae  
pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium.

118 31 XIII. Etenim iam diu, patres conscripti, in his pericu-  
lis coniurationis insidiisque versamur, sed nescio quo pacto  
omnium scelerum ac veteris furoris et audaciae maturitas  
in nostri consulatus tempus erupit. Quod si ex tanto latro-

cinio iste unus tolletur, videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati, periculum autem residebit et erit inclusum penitus in venis atque in visceribus rei publicae. Ut saepe homines aegri morbo gravi, cum aestu febrique iactantur, si aquam gelidam biberunt, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque afflictantur, sic hic morbus, qui est in re publica, relevatus istius poena vehementius vivis reliquis ingravescet.

Quare secedant improbi, secernant se a bonis, unum in <sup>32</sup> locum congregentur, muro denique, id quod saepe iam dixi, discernantur a nobis; desinant insidiari domi suae consuli, circumstare tribunal praetoris urbani, obsidere cum gladiis curiam, malleolos et faces ad inflammandam urbem comparare: sit denique inscriptum in fronte uniuscuiusque, quid de re publica sentiat. Polliceor vobis hoc, patres conscripti, tantam in nobis consulibus fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus Romanis virtutem, tantam in omnibus bonis consensionem, ut Catilinae profectio omnia patefacta, illustrata, oppressa, vindicata esse videatis.

Hisce ominibus, Catilina, cum summa rei publicae salute, <sup>33</sup> cum tua peste ac pernicie cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere parricidioque iunxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium.

Tum tu, Iuppiter, qui isdem, quibus haec urbs, auspiciis a Romulo es constitutus, quem Statorem huius urbis atque imperii vere nominamus, hunc et huius socios a tuis aris ceterisque templis, a tectis urbis ac moenibus, a vita fortunisque civium arcebis et homines bonorum inimicos, hostes patriae, latrones Italiae, scelerum foedere inter se ac nefaria societate coniunctos, aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.

P. VERGILIUS MARO

# AENEIS.

## LIBER I.

1 Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris  
Italiâ fato profugus Laviniaque venit  
litora, multum ille et terris iactatus et alto  
vi superum saevae memorem Iunonis ob iram,  
5 multa quoque et bello passus, dum conderet urbem  
inferretque deos Latio, genus unde Latinum  
Albanique patres atque altae moenia Romae.  
Musa, mihi causas memora, quo numine laeso  
quidve dolens regina deum tot volvere casus  
10 insignem pietate virum, tot adire labores  
impulerit. Tantaene animis caelestibus irae?  
Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)  
Karthago, Italiâ contra Tiberinaque longe  
ostia, dives opum studiisque asperrima belli;  
15 quam Iuno fertur terris magis omnibus unam  
posthabita coluisse Samo: hic illius arma,  
hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,  
si qua fata sinant, iam tum tenditque fovetque.  
Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci  
20 audierat, Tyrias olim quae verteret arces;  
hinc populum late regem belloque superbum  
venturum excidio Libyae: sic volvere Parcas.  
Id metuens veterisque memor Saturnia belli,  
prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis  
25 (necdum etiam causae irarum saevique dolores  
exciderant animo; manet alta mente repostum  
iudicium Paridis spretaeque iniuria formae  
et genus invisum et rapti Ganymedis honores):

his accensa super iactatos aequore toto  
30 Troas, reliquias Danaum atque immitis Achilli,  
arcebat longe Latio, multosque per annos  
errabant acti fati maria omnia circum.

Tantae molis erat Romanam condere gentem.

Vix e conspectu Siculae telluris in altum  
35 vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant,  
cum Iuno aeternum servans sub pectore volnus  
haec secum: „Mene incepto desistere victam  
nec posse Italia Teucrorum avertere regem?

Quippe vetor fati. Pallasne exurere classem  
40 Argivom atque ipsos potuit submergere ponto  
unius ob noxam et furias Aiacis Oili?

Ipsa Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem  
disiecitque rates evertitque aequora ventis,  
illum expirantem transfixo pectore flammas  
45 turbine corripuit scopuloque infixit acuto;  
ast ego, quae divom incedo regina, Iovisque  
et soror et coniunx, una cum gente tot annos  
bella gero. Et quisquam numen Iunonis adorat  
praeterea aut supplex aris imponet honorem?“

50 Talia flammato secum dea corde volutans  
nimborum in patriam, loca feta furentibus austris,  
Aeoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro  
luctantes ventos tempestatesque sonoras  
imperio premit ac vinclis et carcere frenat.

55 Illi indignantes magno cum murmure montis  
circum claustra fremunt; celsa sedet Aeolus arce  
sceptra tenens mollitque animos et temperat iras.  
Ni faciat, maria ac terras caelumque profundum  
quippe ferant rapidi secum verrantque per auras:

60 sed pater omnipotens speluncis abdidit atris  
hoc metuens molemque et montes insuper altos  
imposuit regemque dedit, qui foedere certo  
et premere et laxas sciret dare iussus habenas.

Ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est:

65 „Aeole, namque tibi divom pater atque hominum rex  
et mulcere dedit fluctus et tollere vento,

gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,  
Ilium in Italiam portans victosque penates :  
incute vim ventis submersasque obrue puppes,  
70 aut age diversos et disice corpora ponto.  
Sunt mihi bis septem praestanti corpore nymphae,  
quarum quae forma pulcherrima Deiopea,  
conubio iungam stabili propriamque dicabo,  
omnis ut tecum meritis pro talibus annos  
75 exigat et pulchra faciat te prole parentem.“

Aeolus haec contra : „Tuus, o regina, quid optes,  
explorare labor; mihi iussa capessere fas est.  
Tu mihi quodcumque hoc regni, tu scepra Iovemque  
concilias, tu das epulis accumbere divom  
80 nimborumque facis tempestatumque potentem.“

Haec ubi dicta, cavom conversa cuspide montem  
impulit in latus: ac venti velut agmine facto,  
qua data porta, ruunt et terras turbine perflant.  
Incubuere mari totumque a sedibus imis  
85 una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis  
Africus et vastos volvont ad litora fluctus.  
Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.  
Eripiunt subito nubes caelumque diemque  
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.  
90 Intonuere poli et crebris micat ignibus aether  
praesentemque viris intentant omnia mortem.  
Extemplo Aeneae solvontur frigore membra;  
ingemit et duplicis tendens ad sidera palmas  
talìa voce refert: „O terque quaterque beati,  
95 quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis  
contigit oppetere! O Danaum fortissime gentis  
Tydide! Mene Iliacis occumbere campis  
non potuisse tuaque animam hanc effundere dextra,  
saevos ubi Aeacidæ telo iacet Hector, ubi ingens  
100 Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis  
scuta virum galeasque et fortia corpora volvit!“

Talìa iactanti stridens aquilone procella  
velum adversa ferit fluctusque ad sidera tollit.  
Franguntur remi; tum prora avertit et undis

- 105 dat latus; insequitur cumulo praeruptus aquae mons.  
 Hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens  
 terram inter fluctus aperit, furit aestus harenis.  
 Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet  
 (saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, aras),  
 110 dorsum immane mari summo, tris Euris ab alto  
 in brevia et syrtis urget (miserabile visu)  
 inliditque vadis atque aggere cingit harenae.  
 Unam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten,  
 ipsius ante oculos ingens a vertice pontus  
 115 in puppim ferit: excutitur pronusque magister  
 volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem  
 torquet agens circum et rapidus vorat aequore vortex.  
 Apparent rari nantes in gurgite vasto,  
 arma virum tabulaeque et Troia gaza per undas.  
 120 Iam validam Ilionei navem, iam fortis Achati,  
 et qua vectus Abas, et qua grandaevos Aletes,  
 vicit hiems: laxis laterum compagibus omnes  
 accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscent.  
 Interea magno misceri murmure pontum  
 125 emissamque hiemem sensit Neptunus et imis  
 stagna refusa vadis, graviter commotus, et alto  
 prospiciens summa placidum caput extulit unda.  
 Disiectam Aeneae toto videt aequore classem,  
 fluctibus oppressos Troas caelique ruina,  
 130 nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.  
 Eurum ad se Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur:  
 „Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?  
 Iam caelum terramque meo sine numine, venti,  
 miscere et tantas audetis tollere moles?  
 135 Quos ego —! sed motos praestat componere fluctus:  
 post mihi non simili poena commissa luetis.  
 Maturate fugam regique haec dicite vestro:  
 Non illi imperium pelagi saevomque tridentem,  
 sed mihi sorte datum. Tenet ille immania saxa,  
 140 vestras, Eure, domos; illa se iactet in aula  
 Aeolus et clauso ventorum carcere regnet.“

Sic ait et dicto citius tumida aequora placat

collectasque fugat nubes solemque reducit.  
Cymothoe simul et Triton adnixus acuto  
145 detrudunt navis scopulo; levat ipse tridenti  
et vastas aperit syrtis et temperat aequor  
atque rotis summas levibus perlabitur undas.  
Ac veluti magno in populo cum saepe coorta est  
seditio saevitque animis ignobile volgus,  
150 iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat;  
tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem  
conspexere, silent arrectisque auribus adstant;  
ille regit dictis animos et pectora mulcet:  
sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam  
155 prospiciens genitor caeloque invectus aperto  
flectit equos curruque volans dat lora secundo.  
Defessi Aeneadae quae proxima litora cursu  
contendunt petere et Libyae vertuntur ad oras.

305 At pius Aeneas, per noctem plurima volvens,  
ut primum lux alma data est, exire locosque  
explorare novos, quas vento accesserit oras,  
qui teneant (nam inculta videt), hominesne feraene,  
quaerere constituit sociisque exacta referre.  
310 Classem in convexo nemorum sub rupe cavata  
arboribus clausam circum atque horrentibus umbris  
occulit; ipse uno graditur comitatus Achate,  
bina manu lato crispans hastilia ferro.

418 Corripuere viam interea, qua semita monstrat.  
Iamque ascendebant collem, qui plurimus urbi  
420 imminet adversasque aspectat desuper arces.  
Miratur molem Aeneas, magalia quondam,  
miratur portas strepitumque et strata viarum.  
Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros  
molirique arcem et manibus subvolvere saxa,  
425 pars optare locum tecto et concludere sulco.  
427 Hic portus alii effodiunt; hinc alta theatri  
fundamenta locant alii immanisque columnas

rupibus excidunt, scaenis decora alta futuris.

430 Qualis apes aestate nova per florea rura  
exercet sub sole labor, cum gentis adultos  
educunt fetus, aut cum liquentia mella  
stipant et dulci distendunt nectare cellas,  
aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto

435 ignavom fucos pecus a praesepibus arcent;  
fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.  
„O fortunati, quorum iam moenia surgunt!“  
Aeneas ait et fastigia suspicit urbis.

Infert se saeptus nebula (mirabile dictu)

440 per medios miscetque viris neque cernitur ulli.

Lucus in urbe fuit media, laetissimus umbrae,  
quo primum iactati undis et turbine Poeni  
effodere loco signum, quod regia Iuno  
monstrarat, caput acris equi: sic nam fore bello

445 egregiam et facilem victu per saecula gentem.

Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido  
condebat, donis opulentum et numine divae,  
aerea cui gradibus surgebant limina nixaeque  
aere trabes, foribus cardo stridebat aënis.

450 Hoc primum in luco nova res oblata timorem  
leniit, hic primum Aeneas sperare salutem  
ausus et afflictis melius confidere rebus.

Namque sub ingenti lustrat dum singula templo  
reginam opperiens, dum, quae fortuna sit urbi,

455 artificumque manus inter se operumque laborem  
miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas  
bellaque iam fama totum volgata per orbem.

494 Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,

495 dum stupet obtutuque haeret defixus in uno,  
regina ad templum, forma pulcherrima Dido,  
incessit magna iuvenum stipante caterva.

Qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi  
exercet Diana choros, quam mille secutae

500 hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram  
fert umero gradiensque deas supereminet omnis;

Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus :  
 talis erat Dido, talem se laeta ferebat  
 per medios, instans operi regnisque futuris.  
 505 Tum foribus divae, media testudine templi,  
 saepta armis solioque alte subnixta resedit.  
 Iura dabat legesque viris operumque laborem  
 partibus aequabat iustis aut sorte trahebat.

588 Restitit Aeneas claraque in luce refulsit  
 os umerosque deo similis; namque ipsa decoram  
 590 caesariem nato genetrix lumenque iuventae  
 purpureum et laetos oculis adflarat honores:  
 quale manus addunt ebori decus aut ubi flavo  
 argentum Pariusve lapis circumdatur auro.

613 Obstipuit primo aspectu Sidonia Dido,  
 casu deinde viri tanto et sic ore locuta est:  
 615 „Quis te, nate dea, per tanta pericula casus  
 insequitur, quae vis immanibus applicat oris?  
 Tunc ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae  
 alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad undam?  
 Atque equidem Teucrum memini Sidona venire  
 620 finibus expulsum patriis, nova regna petentem  
 auxilio Beli; genitor tum Belus opimam  
 vastabat Cyprum et victor dicione tenebat.  
 Tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis  
 Troianae nomenque tuum regesque Pelasgi.

625 Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat  
 seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat.  
 Quare agite o tectis, iuvenes, succedite nostris.  
 Me quoque per multos similis fortuna labores  
 iactatam hac demum voluit consistere terra:  
 630 non ignara mali miseris succurrere disco.“  
 Sic memorat; simul Aenean in regia ducit  
 tecta, simul divom templis indicit honorem.  
 Nec minus interea sociis ad litora mittit  
 viginti tauros, magnorum horrentia centum  
 635 terga suum, pinguis centum cum matribus agnos,

munera laetitiamque dii.

At domus interior regali splendida luxu  
instruitur mediisque parant convivia tectis:  
arte laboratae vestes ostroque superbo,

640 ingens argentum mensis caelataque in auro  
fortia facta patrum, series longissima rerum,  
per tot ducta viros antiquae ab origine gentis.

Aeneas (neque enim patrius consistere mentem  
passus amor) rapidum ad navis praemittit Achaten,

645 Ascanio ferat haec ipsumque ad moenia ducat;  
omnis in Ascanio cari stat cura parentis.

Munera praeterea Iliacis erepta ruinis  
ferre iubet, pallam signis auroque rigentem  
et circumtextum croceo velamen acantho,

650 ornatus Argivae Helenae, quos illa Mycenis,  
Pergama cum peteret inconcessosque hymenaeos,  
extulerat, matris Ladae mirabile donum;

praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,  
maxima natarum Priami, colloque monile

655 bacatum et duplicem gemmis auroque coronam.  
Haec celerans iter ad navis tendebat Achates.

695 Iamque ibat dicto parens et dona Cupido  
regia portabat Tyriis duce laetus Achate.

Cum venit, aulaeis iam se regina superbis  
aurea composuit sponda mediamque locavit;  
iam pater Aeneas et iam Troiana iuventus

700 conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.

Dant manibus famuli lymphas Cereremque canistris  
expediunt tonsisque ferunt mantelia villis.

Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longam  
cura penum struere et flammis adolere penates;

705 centum aliae totidemque pares aetate ministri,  
qui dapibus mensas onerent et pocula ponant.

Nec non et Tyrii per limina laeta frequentes  
convenere, toris iussi discumbere pictis.

Mirantur dona Aeneae, mirantur Iulum

710 flagrantisque dei voltus simulataque verba

pallamque et pictum croceo velamen acantho.  
 Praecipue infelix, pesti devota futurae,  
 expleri mentem nequit ardescitque tuendo  
 Phoenissa et pariter puero donisque movetur.  
 715 Ille ubi complexu Aeneae colloque pependit  
 et magnum falsi implevit genitoris amorem,  
 reginam petit. Haec oculis, haec pectore toto  
 haeret et interdum gremio fovet, inscia Dido,  
 insidat quantus miserae deus. At memor ille  
 720 matris Acidaliae paulatim abolere Sychaeum  
 incipit et vivo temptat praevertere amore  
 iam pridem resides animos desuetaque corda.  
 Postquam prima quies epulis mensaeque remotae,  
 crateras magnos statuunt et vina coronant.  
 725 It strepitus tectis vocemque per ampla volutant  
 atria; dependent lychni laquearibus aureis  
 incensi et noctem flammis funalia vincunt.  
 Hic regina gravem gemmis auroque poposcit  
 implevitque mero pateram, quam Belus et omnes  
 730 a Belo soliti; tum facta silentia tectis:  
 „Iuppiter, hospitibus nam te dare iura locuntur,  
 hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis  
 esse velis nostrosque huius meminisse minores.  
 Adsit laetitiae Bacchus dator et bona Iuno;  
 735 et vos o coetum, Tyrii, celebrate faventes.“  
 Dixit et in mensam laticum libavit honorem  
 primaque libato summo tenuis attigit ore;  
 tum Bitiae dedit increpitans; ille impiger hausit  
 spumantem pateram et pleno se proluit auro;  
 740 post alii proceres. Cithara crinitus Iopas  
 personat aurata, docuit quem maximus Atlas.  
 Hic canit errantem lunam solisque labores,  
 unde hominum genus et pecudes, unde imber et ignes,  
 745 Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones,  
 quid tantum Oceano properent se tinguere soles  
 hiberni vel quae tardis mora noctibus obstet.  
 Ingeminant plausu Tyrii Troesque secuntur.  
 Nec non et vario noctem sermone trahebat

infelix Dido longumque bibebat amorem,  
750 multa super Priamo rogitans, super Hectore multa;  
nunc, quibus Aurorae venisset filius armis,  
nunc, quales Diomedis equi, nunc, quantus Achilles.  
„Immo age et a prima dic, hospes, origine nobis  
insidias“, inquit, „Danaum casusque tuorum  
755 erroresque tuos; nam te iam septima portat  
omnibus errantem terris et fluctibus aestas.“

## LIBER II.

121 <sup>1</sup> Conticuere omnes intentique ora tenebant.  
Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:  
„Infandum, regina, iubes renovare dolorem.  
Troianas ut opes et lamentabile regnum  
5 eruerint Danai, quaeque ipse miserrima vidi  
et quorum pars magna fui, quis talia fando  
Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi  
temperet a lacrimis? Et iam nox umida caelo  
praecipitat suadentque cadentia sidera somnos.  
10 Sed si tantus amor casus cognoscere nostros  
et breviter Troiae supremum audire laborem,  
quamquam animus meminisse horret luctuque refugit,  
incipiam.

Fracti bello fatisque repulsi  
ductores Danaum, tot iam labentibus annis,  
15 instar montis equom divina Palladis arte  
aedificant sectaque intexunt abiete costas;  
votum pro reditu simulant, ea fama vagatur.  
Huc delecta virum sortiti corpora furtim  
includunt caeco lateri penitusque cavernas  
20 ingentis utrumque armato milite complent.

Est in conspectu Tenedos, notissima fama  
insula, dives opum, Priami dum regna manebant,  
nunc tantum sinus et statio male fida carinis:  
huc se provecti deserto in litore condunt.  
25 Nos abiisse rati et vento petiisse Mycenae:

ergo omnis longo solvit se Teucra luctu.

Panduntur portae; iuvat ire et Dorica castra  
desertosque videre locos litusque relictum.

Hic Dolopum manus, hic saevos tendebat Achilles,

30 classibus hic locus, hic acie certare solebant.

Pars stupet innuptae donum exitiale Minervae  
et molem mirantur equi; primusque Thymoetes  
duci intra muros hortatur et arce locari,  
sive dolo seu iam Troiae sic fata ferebant.

35 At Capys et, quorum melior sententia menti,  
aut pelago Danaum insidias suspectaque dona  
praecipitare iubent subiectisque urere flammis  
aut terebrare cavas uteri et temptare latebras.  
Scinditur incertum studia in contraria volgus.

234 Dividimus muros et moenia pandimus urbis.

235 Accingunt omnes operi pedibusque rotarum  
subiciunt lapsus et stuppea vincula collo  
intendunt: scandit fatalis machina muros  
feta armis. Pueri circum innuptaeque puellae  
sacra canunt funemque manu contingere gaudent.

240 Illa subit mediaeque minans inlabitur urbi.

250 Vertitur interea caelum et ruit Oceano nox  
involvens umbra magna terramque polumque  
Myrmidonumque dolos; fusi per moenia Teucra  
conticuere, sopor fessos complectitur artus.

Et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat

255 a Tenedo tacitae per amica silentia lunae  
litora nota petens: flammam cum regia puppis  
extulerat, fatisque deum defensum iniquis  
inclusos utero Danaos et pinea furtim  
laxat claustra Sinon. Illos patefactus ad auras  
260 reddit equos laetique cavo se robore promunt  
Thessandrus Sthenelusque duces et dirus Ulixes  
demissum lapsi per funem Acamasque Thoasque  
Pelidesque Neoptolemus primusque Machaon  
et Menelaus et ipse doli fabricator Epeos.

265 Invadunt urbem somno vinoque sepultam;  
caeduntur vigiles portisque patentibus omnis  
accipiunt socios atque agmina conscia iungunt.

298 Diverso interea miscentur moenia luctu  
et magis atque magis, quamquam secreta parentis  
300 Anchisae domus arboribusque oblecta recessit,  
clarescunt sonitus armorumque ingruit horror.  
Excutior somno et summi fastigia tecti  
ascensu supero atque arrectis auribus asto:  
in segetem veluti cum flamma furentibus austris  
305 incidit aut rapidus montano flumine torrens  
sternit agros, sternit sata laeta boumque labores  
praecipitesque trahit silvas; stupet inscius alto  
accipiens sonitum saxi de vertice pastor.  
Tum vero manifesta fides Danaumque patescunt  
310 insidiae. Iam Deiphobi dedit ampla ruinam  
Volcano superante domus, iam proximus ardet  
Ucalegon, Sigea igni freta lata relucent.  
Exoritur clamorque virum clangorque tubarum.  
Arma amens capio; nec sat rationis in armis,  
315 sed glomerare manum bello et concurrere in arcem  
cum sociis ardent animi; furor iraque mentem  
praecipitant, pulchrumque mori succurrit in armis.

359 Vadimus haud dubiam in mortem mediaeque tenemus  
360 urbis iter; nox atra cava circumvolat umbra.  
Quis cladem illius noctis, quis funera fando  
explicitet aut possit lacrimis aequare labores?  
Urbs antiqua ruit multos dominata per annos;  
plurima perque vias sternuntur inertia passim  
365 corpora perque domos et religiosa deorum  
limina. Nec soli poenas dant sanguine Teucri:  
quondam etiam victis redit in praecordia virtus  
victoresque cadunt Danai. Crudelis ubique  
luctus, ubique pavor et plurima mortis imago.

1 Postquam res Asiae Priamique evertere gentem  
 inmeritam visum superis ceciditque superbum  
 Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia,  
 diversa exsilia et desertas quaerere terras  
 5 auguriis agimur divom classemque sub ipsa  
 Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae,  
 incerti, quo fata ferant, ubi sistere detur,  
 contrahimusque viros. Vix prima inceperat aestas,  
 et pater Anchises dare fatis vela iubebat,  
 10 litora cum patriae lacrimans portusque relinquo  
 et campos, ubi Troia fuit; feror exsul in altum  
 cum sociis natoque, penatibus et magnis dis.

Terra procul vastis colitur Mavortia campis  
 (Thraces arant) acri quondam regnata Lycurgo, ~~eum~~  
 15 hospitium antiquom Troiae sociique penates,  
 dum fortuna fuit. Feror huc et litore curvo  
 moenia prima loco fatis ingressus iniquis  
 Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.

Sacra Dionaeae matri divisque ferebam  
 20 auspicibus coeptorum operum superoque nitentem  
 caelicolum regi mactabam in litore taurum.  
 Forte fuit iuxta tumulus, quo cornea summo  
 virgulta et densis hastilibus horrida myrtus.  
 Accessi viridemque ab humo convellere silvam  
 25 conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras,  
 horrendum et dictu video mirabile monstrum.  
 Nam quae prima solo ruptis radicibus arbos  
 vellitur, huic atro liquontur sanguine guttae  
 et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror  
 30 membra quatit gelidusque coit formidine sanguis.  
 Rursus et alterius lentum convellere vimen  
 insequor et causas penitus temptare latentis:  
 ater et alterius sequitur de cortice sanguis.  
 Multa movens animo nymphas venerabar agrestis  
 35 Gradivomque patrem, Geticis qui praesidet arvis,  
 rite secundarent visus omenque levarent.

Tertia sed postquam maiore hastilia nisu  
adgredior genibusque adversae obluxor. harenae,  
(eloquar an sileam?) gemitus lacrimabilis imo  
40 auditur tumulo et vox reddita fertur ad auris:  
„Quid miserum, Aenea, laceras? Iam parce sepulto,  
parce pias scelerare manus. Non mae tibi Troia  
externum tulit aut cruor hic de stipite manat.  
Heu, fuge crudelis terras, fuge litus avarum;  
45 nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea textit  
telorum seges et iaculis increvit acutis.“  
Tum vero ancipiti mentem formidine pressus  
obstipui steteruntque comae et vox faucibus haesit.

Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno  
50 infelix Priamus furtim mandarat alendum  
Threicio regi, cum iam diffideret armis  
Dardaniae cingique urbem obsidione videret.  
Ille, ut opes fractae Teucrum et Fortuna recessit,  
res Agamemnonias victriciaque arma secutus  
55 fas omne abrumpit: Polydorum obruncat et auro  
vi potitur. — Quid non mortalia pectora cogis,  
auri sacra fames? — Postquam pavor ossa reliquit,  
delectos populi ad proceres primumque parentem  
monstra deum refero et, quae sit sententia, posco.  
60 Omnibus idem animus, scelerata excedere terra,  
linqui pollutum hospitium et dare classibus austros.  
Ergo instauramus Polydoro funus: et ingens  
aggeritur tumulo tellus; stant manibus arae  
caeruleis maestae vittis atraque cupresso  
65 et circum Iliades crinem de more solutae;  
inferimus tepido spumantia cymbia lacte  
sanguinis et sacri pateras animamque sepulcro  
condimus et magna supremum voce ciemus.

123 69 Inde, ubi prima fides pelago placataque venti  
70 dant maria et lenis crepitans vocat auster in altum,  
deducunt socii navis et litora complent.  
Provehimur portu terraeque urbesque recedunt.  
Sacra mari colitur medio gratissima tellus

Nereidum matri et Neptuno Aegaeo,  
75 quam pius arquitekens oras et litora circum  
errantem Mycono e celsa Gyaroque revinxit  
immotamque coli dedit et contemnere ventos.  
Huc feror, haec fessos tuto placidissima portu  
accipit. Egressi veneramur Apollinis urbem.  
80 Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,  
vittis et sacra redimitus tempora lauro,  
occurrit, veterem Anchisen adgnovit amicum.  
Iungimus hospitio dextras et tecta subimus.

Templa dei saxo venerabar structa vetusto:  
85 „Da propriam, Thymbraee, domum; da moenia fessis  
et genus et mansuram urbem; serva altera Troiae  
Pergama, reliquias Danaum atque immitis Achilli.  
Quem sequimur, quove ire iubes, ubi ponere sedes?  
Da, pater, augurium, atque animis inlabere nostris.“  
90 Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente,  
liminaque laurusque dei totusque moveri  
mons circum et mugire adytis cortina reclusis.  
Summissi petimus terram, et vox fertur ad auris:  
„Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum  
95 prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto  
accipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.  
Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris  
et nati natorum et qui nascentur ab illis.“  
Haec Phoebus; mixtoque ingens exorta tumultu  
100 laetitia et cuncti, quae sint ea moenia, quaerunt,  
quo Phoebus vocet errantis iubeatque reverti.

121 Fama volat pulsum regnis cessisse paternis  
Idomenea ducem desertaque litora Cretae,  
hoste vacare domum sedesque astare relictas.  
Linquimus Ortygiae portus pelagoque volamus  
125 bacchatamque iugis Naxum viridemque Donusam,  
Olearum niveamque Parum sparsasque per aequor  
Cycladas et crebris legimus freta concita terris.  
Nauticus exoritur vario certamine clamor;  
hortantur socii, Cretam proavosque petamus.

- 130 Prosequitur surgens a puppi ventus euntis  
et tandem antiquis Curetum adlabimur oris.  
Ergo avidus muros optatae molior urbis  
Pergameamque voco et laetam cognomine gentem  
hortor amare focos arcemque attollere tectis.
- 135 Iamque fere sicco subductae litore puppes,  
conubis arvisque novis operata iuventus,  
iura domosque dabam: subito cum tabida membris  
corrupto caeli tractu miserandaque venit  
arboribusque satisque lues et letifer annus.
- 140 Linquebant dulces animas aut aegra trahebant  
corpora, tum steriles exurere Sirius agros,  
arebant herbae et victum seges aegra negabat.  
Rursus ad oraclum Ortygiae Phoebumque remenso  
hortatur pater ire mari veniamque precari,
- 145 quam fessis finem rebus ferat, unde laborum  
temptare auxilium iubeat, quo vertere cursus.

Nox erat et terris animalia somnus habebat:  
effigies sacrae divom Phrygiique penates,  
quos mecum ab Troia mediisque ex ignibus urbis

150 extuleram, visi ante oculos astare iacentis  
in somnis, multo manifesti lumine, qua se  
plena per insertas fundebat luna fenestras,  
tum sic adfari et curas his demere dictis:  
„Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,

155 hic canit et tua nos en ultro ad limina mittit.  
Nos te Dardania incensa tuaque arma secuti,  
nos tumidum sub te permensi classibus aequor  
idem venturos tollemus in astra nepotes  
imperiumque urbi dabimus. Tu moenia magnis

160 magna para longumque fugae ne linque laborem.  
Mutandae sedes. Non haec tibi litora suasit  
Delius aut Cretae iussit considerare Apollo.  
Est locus (Hesperiam Grai cognomine dicunt),  
terra antiqua, potens armis atque ubere glaebae,

165 Oenotri coluere viri, nunc fama minores  
Italiam dixisse ducis de nomine gentem:  
hae nobis propriae sedes, hinc Dardanus ortus

Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.  
Surge age et haec laetus longaevo dicta parenti  
170 haud dubitanda refer, Corythum terrasque requirat  
Ausonias; Dictaea negat tibi Iuppiter arva.“

Talibus attonitus visis et voce deorum  
(nec sopor illud erat, sed coram adgnosceret voltus  
velatasque comas praesentiaque ora videbar,  
175 tum gelidus toto manabat corpore sudor)  
corripio e stratis corpus tendoque supinas  
ad caelum cum voce manus et munera libo  
intemerata focis. Perfecto laetus honore  
Anchisen facio certum remque ordine pando.

190 Hanc quoque deserimus sedem paucisque relictis  
vela damus vastumque cava trabe currimus aequor.

192 Postquam altum tenuere rates nec iam amplius ullae  
apparent terrae, caelum undique et undique pontus,  
tum mihi caeruleus supra caput astitit imber  
195 noctem hiememque ferens et inhorrui unda tenebris.

Continuo venti volvunt mare magnaue surgunt  
aequora, dispersi iactamur gurgite vasto,  
involvere diem nimbi et nox umida caelum  
abstulit, ingeminant abruptis nubibus ignes.

200 Excutimur cursu et caecis erramus in undis.  
Ipse diem noctemque negat discernere caelo  
nec meminisse viae media Palinurus in unda.  
Tris adeo incertos caeca caligine soles  
erramus pelago, totidem sine sidere noctes.

205 Quarto terra die primum se attollere tandem  
visa, aperire procul montis ac volvere fumum.  
Vela cadunt, remis insurgimus, haud mora nautae  
adnixi torquent spumas et caerulea verrunt.

Servatum ex undis Strophadum me litora primum  
210 excipiunt. Strophades Graio stant nomine dictae  
insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno  
Harpyiaequae colunt aliae, Phineia postquam  
clausa domus mensasque metu liquere priores.

Tristius haud illis monstrum nec saevior ulla  
215 pestis et ira deum Stygiis sese extulit undis:  
virginei volucrum voltus, foedissima ventris  
proluvies uncaeque manus et pallida semper  
ora fame.

Huc ubi delati portus intravimus, ecce  
220 laeta boum passim campis armenta videmus  
caprigenumque pecus nullo custode per herbas.  
Inruimus ferro et divos ipsumque vocamus  
in partem praedamque Iovem; tum litore curvo  
exstruimusque toros dapibusque epulamur opimis.

225 At subitae horrifico lapsu de montibus adsunt  
Harpyiae et magnis quatiunt clangoribus alas  
diripiuntque dapes contactuque omnia foedant  
immundo, tum vox taetrum dira inter odorem.  
Rursum in secessu longo sub rupe cavata

230 arboribus clausa circum atque horrentibus umbris  
instruimus mensas arisque reponimus ignem:  
rursum ex diverso caeli caecisque latebris  
turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis,  
polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capessant,  
235 edico, et dira bellum cum gente gerendum.

Haud secus ac iussi faciunt tectosque per herbam  
disponunt enses et scuta latentia condunt.  
Ergo ubi delapsae sonitum per curva dedere  
litora, dat signum specula Misenus ab alta  
240 aere cavo. Invadunt socii et nova proelia temptant,  
obsenas pelagi ferro foedare volucres.

Sed neque vim plumis ullam nec volnera tergo  
accipiunt celerique fuga sub sidera lapsae  
semesam praedam et vestigia foeda relinquunt.

245 Una in praecelsa consedit rupe Celaeno,  
infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:  
„Bellum etiam pro caede boum stratisque iuvencis,  
Laomedontiadae, bellumne inferre paratis  
et patrio Harpyias insontis pellere regno?

250 Accipite ergo animis atque haec mea figite dicta,  
quae Phoebus pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo

praedixit, vobis Furiarum ego maxima pando.  
Italiam cursu petitis ventisque vocatis  
ibitis Italiam portusque intrare licebit;  
255 sed non ante datam cingetis moenibus urbem,  
quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis  
ambesas subigat malis absumere mensas.“  
Dixit et in silvam pennis ablata refugit.  
At sociis subita gelidus formidine sanguis  
260 deriguit: cecidere animi nec iam amplius armis,  
sed votis precibusque iubent exposcere pacem,  
sive deae seu sint dirae obscenaeque volucres.  
Et pater Anchises passis de litore palmis  
numina magna vocat meritosque indicit honores:  
265 „Di prohibete minas; di talem avertite casum  
et placidi servate pios!“ Tum litore funem  
diripere excussosque iubet laxare rudentes.  
Tendunt vela noti; fugimus spumantibus undis,  
qua cursum ventusque gubernatorque vocabat.

568 Interea fessos ventus cum sole reliquit  
ignarique viae Cyclopum adlabimur oris.

570 Portus ab accessu ventorum immotus et ingens  
ipse, sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis  
interdumque atram prorumpit ad aethera nubem  
turbine fumantem piceo et candente favilla  
attollitque globos flammaram et sidera lambit,  
575 interdum scopulos avolsaque viscera montis  
erigit eructans liquefactaque saxa sub auras  
cum gemitu glomerat fundoque exaestuat imo.  
Fama est Enceladi semustum fulmine corpus  
urgeri mole hac ingentemque insuper Aetnam  
580 impositam ruptis flammam exspirare caminis,  
et fessum quotiens mutet latus, intremere omnem  
murmure Trinacriam et caelum subtexere fumo.  
Noctem illam tecti silvis immania monstra  
perferimus nec, quae sonitum det causa, videmus.  
585 Nam neque erant astrorum ignes nec lucidus aethra  
siderea polus, obscuro sed nubila caelo

et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

Postera iamque dies primo surgebat Eoo  
umentemque Aurora polo dimoverat umbram.

675 At genus e silvis Cyclopum et montibus altis  
excitum ruit ad portus et litora complent.  
Cernimus adstantis nequiquam lumine torvo  
Aetnaeos fratres, caelo capita alta ferentis,  
concilium horrendum: quales cum vertice celso  
680 aëriae quercus aut coniferae cyparissi  
constiterunt, silva alta Iovis lucusve Dianae.  
Praecipites metus acer agit quocumque rudentis  
excutere et ventis intendere vela secundis.

715 Hinc me digressum vestris deus appulit oris.“

Sic pater Aeneas intentis omnibus unus  
fata renarrabat divom cursusque docebat.  
Conticuit tandem factoque hic fine quievit.

#### LIBER IV.

126 <sup>1</sup> At regina gravi iamdudum saucia cura  
volnus alit venis et caeco carpitur igni.  
Multa viri virtus animo multusque recursat  
gentis honos, haerent infixi pectore voltus  
5 verbaque nec placidam membris dat cura quietem.

129 Oceanum interea surgens Aurora reliquit.  
130 It portis iubare exorto delecta iuventus;  
retia rara, plagae, lato venabula ferro  
Massylique ruunt equites et odora canum vis.  
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi  
Poenorum exspectant ostroque insignis et auro  
135 stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit.  
Tandem progreditur magna stipante caterva,  
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo;  
cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,  
aurea purpuream subnectit fibula vestem.

140 Nec non et Phrygii comites et laetus Iulus  
incedunt. Ipse ante alios pulcherrimus omnis  
infert se socium Aeneas atque agmina iungit.  
Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta  
deserit ac Delum maternam invisit Apollo  
145 instauratque choros, mixtique altaria circum  
Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi;  
ipse iugis Cynthi graditur mollique fluentem  
fronde premit crinem fingens atque implicat auro,  
tela sonant umeris: haud illo signior ibat  
150 Aeneas, tantum egregio decus enitet ore.  
Postquam altos ventum in montis atque invia lustra,  
ecce ferae saxi deiectae vertice caprae  
decurrere iugis; alia de parte patentis  
transmittunt cursu campos atque agmina cervi  
155 pulverulenta fuga glomerant montesque relinquunt.  
At puer Ascanius mediis in vallibus acri  
gaudet equo, iamque hos cursu, iam praeterit illos  
spumantemque dari pecora inter inertia votis  
optat aprum aut fulvom descendere monte leonem.  
160 Interea magno misceri murmure caelum  
incipit, insequitur commixta grandine nimbus:  
et Tyrii comites passim et Troiana iuventus  
Dardaniusque nepos Veneris diversa per agros  
tecta metu petiere; ruunt de montibus amnes.  
165 Speluncam Dido dux et Troianus eandem  
deveniunt, prima et Tellus et pronuba Iuno  
dant signum: fulsere ignes et conscius aether  
conubiis summoque ulularunt vertice nymphae.  
Ille dies primus leti primusque malorum  
170 causa fuit. Neque enim specie famave movetur  
nec iam furtivom Dido meditatur amorem:  
coniugium vocat, hoc praetexit nomine culpam.

173 Extemplo Libyae magnas it Fama per urbes,  
Fama malum, qua non aliud velocius ullum:  
175 mobilitate viget virisque adquirit eundo,  
parva metu primo, mox sese attollit in auras

ingrediturque solo et caput inter nubila condit.  
Illam Terra parens, ira inritata deorum,  
extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem  
180 progenuit pedibus celerem et pernicibus alis,  
monstrum horrendum ingens, cui quot sunt corpore plumae,  
tot vigiles oculi subter (mirabile dictu)  
tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit auris.  
Nocte volat caeli medio terraeque per umbram  
185 stridens nec dulci declinat lumina somno;  
luce sedet custos aut summi culmine tecti  
turribus aut altis et magnas territat urbes,  
tam ficti pravique tenax quam nuntia veri.  
Haec tum multiplici populos sermone replebat  
190 gaudens et pariter facta atque infecta canebat:  
venisse Aenean Troiano sanguine cretum,  
cui se pulchra viro dignetur iungere Dido;  
nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere  
regnorum immemores turpique cupidine captos.

220 Audiit omnipotens oculosque ad moenia torsit  
regia et oblitos famae melioris amantis.  
Tum sic Mercurium adloquitur ac talia mandat:  
„Vade age, nate, voca zephyros et labere pennis  
Dardaniumque ducem, Tyria Karthagine qui nunc  
225 expectat fatisque datas non respicit urbes,  
adloquere et celeris defer mea dicta per auras.  
Non illum nobis genetrix pulcherrima talem  
promisit Graiumque ideo bis vindicat armis;  
sed fore qui gravidam imperiis belloque frementem  
230 Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucri  
proderet ac totum sub leges mitteret orbem.  
Si nulla accendit tantarum gloria rerum  
nec super ipse sua molitur laude laborem,  
Ascanione pater Romanas invidet arces?  
235 Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur  
nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva?  
Naviget — haec summa est, hic nostri nuntius esto.“  
Dixerat. Ille patris magni parere parabat

imperio: et primum pedibus talaria nectit  
 240 aurea, quae sublimem alis sive aequora supra  
 seu terram rapido pariter cum flamine portant.  
 Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco  
 pallentis, alias sub Tartara tristia mittit,  
 dat somnos adimitque et lumina morte resignat.  
 245 Illa fretus agit ventos et turbida tranat  
 nubila. Iamque volans apicem et latera ardua cernit  
 Atlantis duri, caelum qui vertice fulcit,  
 Atlantis, cinctum adsidue cui nubibus atris  
 piniferum caput et vento pulsatur et imbrī,  
 250 nix umeros infusa tegit, tum flumina mento  
 praecipitant senis et glacie riget horrida barba.  
 Hic primum paribus nitens Cyllenius alis  
 constitit; hinc toto praeceps se corpore ad undas  
 misit, avi silimis, quae circum litora, circum  
 255 piscosos scopulos humilis volat aequora iuxta.  
 Haud aliter terras inter caelumque volabat  
 litus harenosum ad Libyae ventosque secabat  
 materno veniens ab avo Cyllenia proles.  
 Ut primum alatis tetigit magalia plantis,  
 260 Aenean fundantem arces ac tecta novantem  
 conspicit. Atque illi stellatus iaspide fulva  
 ensis erat Tyrioque ardebat murice laena  
 demissa ex umeris, dives quae munera Dido  
 fecerat et tenui telas discreverat auro.  
 265 Continuo invadit: „Tu nunc Karthaginis altae  
 fundamenta locas pulchramque uxorius urbem  
 exstruis, heu, regni rerumque oblite tuarum?  
 Ipse deum tibi me claro demittit Olympo  
 regnator, caelum et terras qui numine torquet,  
 270 ipse haec ferre iubet celeris mandata per auras:  
 quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?  
 Si te nulla movet tantarum gloria rerum  
 [nec super ipse tua moliris laude laborem],  
 Ascanium surgentem et spes heredis Iuli  
 275 respice, cui regnum Italiae Romanaque tellus  
 debentur.“ Tali Cyllenius ore locutus

mortalis visus medio sermone reliquit  
et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.

At vero Aeneas aspectu obmutuit amens  
280 adrectaeque horrore comae et vox faucibus haesit.  
Ardet abire fuga dulcisque relinquere terras,  
attonitus tanto monitu imperioque deorum.  
Heu, quid agat? Quo nunc reginam ambire furem  
audeat adfatu? Quae prima exordia sumat?

285 Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc  
in partisque rapit varias perque omnia versat:  
haec alternanti potior sententia visa est.  
Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum,  
classem aptent taciti sociosque ad litora cogant,  
290 arma parent et, quae rebus sit causa novandis,  
dissimulent; sese interea, quando optima Dido  
nesciat et tantos rumpi non speret amores,  
temptaturum aditus et quae mollissima fandi  
tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes  
295 imperio laeti parent ac iussa facessunt.

At regina dolos (quis fallere possit amantem?)  
praesensit motusque exceptit prima futuros,  
omnia tuta timens. Eadem impia Fama furenti  
detulit armari classem cursumque parari.  
300 Saevit inops animi totamque incensa per urbem  
bacchatur, qualis commotis excita sacris  
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho  
orgia nocturnusque vocat clamore Cithaeron.

Tandem his Aenean compellat vocibus ultro:  
305 „Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum  
posse nefas tacitusque mea decedere terra?  
Nec te noster amor nec te data dextera quondam  
nec moritura tenet crudeli funere Dido?  
Quin etiam hiberno moliris sidere classem  
310 et mediis properas aquilonibus ire per altum,  
crudelis? Quid si non arva aliena domosque  
ignotas peteres, sed Troia antiqua maneret,  
Troia per undosum peteretur classibus aequor?  
Mene fugis? Per ego has lacrimas dextramque tuam te,

315 quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui,  
 per conubia nostra, per inceptos hymenaeos,  
 si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam  
 dulce meum, miserere domus labentis et istam,  
 oro, siquis adhuc precibus locus, exue mentem.

320 Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni  
 odere, infensi Tyrii; te propter eundem  
 extinctus pudor et, qua sola sidera adibam,  
 fama prior. Cui me moribundam deseris, — hospes?  
 Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat?

325 Quid moror, an mea Pygmalion dum moenia frater  
 destruat aut captam ducat Gaetulus Iarbas?  
 Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset  
 ante fugam suboles, si quis mihi parvolus aula  
 luderet Aeneas, qui te tamen ore referret,

330 non equidem omnino capta ac deserta viderer.“  
 Dixerat. Ille Iovis monitis immota tenebat  
 lumina et obnixus curam sub corde premebat.  
 Tandem pauca refert: „Ego te quae plurima fando  
 enumerare vales numquam, regina, negabo

335 promeritam nec me meminisse pigebit Elissae,  
 dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.  
 Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto  
 speravi (ne finge) fugam nec coniugis umquam  
 praetendi taedas aut haec in foedera veni.

340 Me si fata meis paterentur ducere vitam  
 auspiciis et sponte mea componere curas,  
 urbem Troianam primum dulcisque meorum  
 reliquias colerem, Priami tecta alta manerent  
 et recidiva manu posuissem Pergama victis.

345 Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,  
 Italiam Lyciae iussere capessere sortes;  
 hic amor, haec patria est. Si te Karthaginis arces  
 Phoenissam Libycaeque aspectus detinet urbis,  
 quae tandem Ausonia Teucros considerare terra

350 invidia est? Et nos fas extera quaerere regna.  
 Me patris Anchisae, quotiens umentibus umbris  
 nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt,

admonet in somnis et turbida terret imago,  
me puer Ascanius capitisque iniuria cari,  
355 quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus arvis.  
Nunc etiam interpretes divom Iove missus ab ipso  
(testor utrumque caput) celeris mandata per auras  
detulit; ipse deum manifesto in lumine vidi  
intransentem muros vocemque his auribus hausit.  
360 Desine meque tuis incendere teque querellis:  
Italiam non sponte sequor.“

Talia dicentem iandudum aversa tuetur  
huc illuc volvens oculos totumque pererrat  
luminibus tacitis et sic accensa profatur:

381 „I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.  
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,  
supplicia hausurum scopulis et nomine Dido  
saepe vocaturum. Sequar atris ignibus absens  
385 et, cum frigida mors anima seduxerit artus,  
omnibus umbra locis adero. Dabis, improbe, poenas.  
Audiam, et haec manibus veniet mihi fama sub imos.“  
His medium dictis sermonem abrumpit et auras  
aegra fugit seque ex oculis avertit et aufert,  
390 linquens multa metu cunctantem et multa volentem  
dicere. Suscipiunt famulae conlapsaque membra  
marmoreo referunt thalamo stratisque reponunt.

584 Et iam prima novo spargebat lumine terras  
585 Tithoni croceum linquens Aurora cubile.  
Regina e speculis ut primum albescere lucem  
vidit et aequatis classem procedere velis  
litora et vacuos sensit sine remige portus,  
terque quaterque manu pectus percussa decorum  
590 flaventisque abscissa comas, „Pro Iuppiter! ibit  
hic“, ait, „et nostris inluserit advena regnis?...”“

642 At trepida et coeptis immanibus effera Dido,  
sanguineam volvens aciem maculisque trementis  
interfusa genas et pallida morte futura,  
645 interiora domus inrumpit limina et altos

conscendit furibunda rogos ensemque recludit  
 Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.  
 Hic, postquam Iliacas vestes notumque cubile  
 conspexit, paulum lacrimis et mente morata  
 650 incubuitque toro dixitque novissima verba:  
 „Dulces exuviae, dum fata deusque sinebat,  
 accipite hanc animam meque his exsolvite curis.  
 Vixi et quem dederat cursum Fortuna peregi  
 et nunc magna mei sub terras ibit imago.  
 655 Urbem praeclaram statui, mea moenia vidi,  
 ulta virum, poenas inimico a fratre recepi,  
 felix, heu, nimium felix, si litora tantum  
 numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae.“  
 Dixit et os impressa toro, „Moriemur inultae,  
 660 sed moriamur“, ait: „sic, sic iuvat ire sub umbras.  
 Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto  
 Dardanus et nostrae secum ferat omina mortis.“  
 Dixerat atque illam media inter talia ferro  
 conlapsam aspiciunt comites ensemque cruore  
 665 spumantem sparsasque manus. It clamor ad alta  
 atria; concussam bacchatur Fama per urbem.  
 Lamentis gemituque et femineo ululatu  
 tecta fremunt, resonat magnis plangoribus aether,  
 non aliter quam si immissis ruat hostibus omnis  
 670 Karthago aut antiqua Tyros flammaeque furentes  
 culmina perque hominum volvantur perque deorum.

## LIBER V.

1 Interea medium Aeneas iam classe tenebat  
 certus iter fluctusque atros aquilone secabat,  
 moenia respiciens, quae iam infelicis Elissae  
 conlucent flammis. Quae tantum accenderit ignem  
 5 causa latet; duri magno sed amore dolores  
 polluto notumque, furens quid femina possit,  
 triste per augurium Teucrorum pectora ducunt...

Q. HORATIUS FLACCUS

## CARMINA.

### EXEGI MONUMENTUM.

- 1 Exegi monumentum aere perennius  
Regalique situ pyramidum altius,  
Quod non imber edax, non Aquilo impotens  
Possit diruere aut innumerabilis
- 2 Annorum series et fuga temporum.  
Non omnis moriar multaue pars mei  
Vitabit Libitinam: usque ego postera  
Crescam laude recens, dum Capitolium
- 3 Scandet cum tacita virgine pontifex.  
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus  
Et qua pauper aquae Daunus agrestium  
Regnavit populorum, ex humili potens,
- 4 Princeps Aeolium carmen ad Italos  
Deduxisse modos. Sume superbiam  
Quaesitam meritis et mihi Delphica  
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

129

(III. 30.)

QUIS DESIDERIO.

130

- <sup>1</sup> Quis desiderio sit pudor aut modus  
Tam cari capitis? Praecipe lugubres  
Cantus, Melpomene, cui liquidam pater  
Vocem cum cithara dedit.
- <sup>2</sup> Ergo Quintilium perpetuus sopor  
Urget; cui Pudor et Iustitiae soror  
Incorrupta Fides nudaque Veritas  
Quando ullum inveniet parem?
- <sup>3</sup> Multis ille bonis flebilis occidit,  
Nulli flebilior quam tibi, Vergili.  
Tu frustra pius, heu, non ita creditum  
Pocis Quintilium deos.
- <sup>4</sup> Quid? si Threicio blandius Orpheo  
Auditam moderere arboribus fidem,  
Num vanae redeat sanguis imagini,  
Quam virga semel horrida
- <sup>5</sup> Non lenis precibus fata recludere  
Nigro compulerit Mercurius gregi?  
Durum: sed levius fit patientia,  
Quidquid corrigere est nefas.

(1. 24.)

O NAVIS, REFERENT.

- 1 O navis, referent in mare te novi 131  
Fluctus! O quid agis? Fortiter occupa  
Portum. Nonne vides, ut  
Nudum remigio latus
- 2 Et malus celeri saucius Africo  
Antemnaeque gemant ac sine funibus  
Vix durare carinae  
Possint imperiosius
- 3 Aequor? Non tibi sunt integra lintea,  
Non di, quos iterum pressa voces malo.  
Quamvis Pontica pinus,  
Silvae filia nobilis,
- 4 Iactes, et genus et nomen inutile:  
Nil pictis timidus navita puppibus  
Fidit. Tu, nisi ventis  
Debes ludibrium, cave.
- 5 Nuper sollicitum quae mihi taedium,  
Nunc desiderium curaque non levis,  
Interfusa nitentes  
Vites aequora Cycladas.

(I. 14.)

DONEC GRATUS ERAM TIBI.

132

- 1 „Donec gratus eram tibi  
Nec quisquam potior bracchia candidae  
Cervici iuvenis dabat,  
Persarum vigui rege beatior.“ —
- 2 „Donec non alia magis  
Arsisti neque erat Lydia post Chloën,  
Multi Lydia nominis  
Romana vigui clarior Ilia.“ —
- 3 „Me nunc Thressa Chloë regit,  
Dulces docta modos et citharae sciens,  
Pro qua non metuam mori,  
Si parcent animae fata superstiti.“ —
- 4 „Me torret face mutua  
Thurini Calais filius Ornyti,  
Pro quo bis patior mori,  
Si parcent puero fata superstiti.“ —
- 5 „Quid si prisca redit Venus  
Diductosque iugo cogit aëneo?  
Si flava excutitur Chloë  
Reiectaeque patet ianua Lydiae?“ —
- 6 „Quamquam sidere pulchrior  
Ille est, tu levior cortice et improbo  
Iracundior Hadria,  
Tecum vivere amem, tecum obeam libens!“

(III. 9.)

TU NE QUAESIERIS.

- <sup>1</sup> Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi  
Finem di dederint, Leuconoë, nec Babylonios  
Temptaris numeros. Ut melius, quidquid erit, pati,  
Seu plures hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,  
<sup>2</sup> Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare  
Tyrrhenum: sapias, vina liques et spatio brevi  
Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida  
Aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

133

(I. 11.)

RECTIUS VIVES.

- <sup>1</sup> Rectius vives, Licini, neque altum  
Semper urgendo neque, dum procellas  
Cautus horrescis, nimium premendo  
Litus iniquum.  
<sup>2</sup> Auream quisquis mediocritatem  
Diligit, tutus caret obsoleti  
Sordibus tecti, caret invidenda  
Sobrius aula.  
<sup>3</sup> Saepius ventis agitur ingens  
Pinus et celsae graviore casu  
Decidunt turres feriuntque summos  
Fulgura montes.  
<sup>4</sup> Sperat infestis, metuit secundis  
Alteram sortem bene praeparatum  
Pectus. Informes hiemes reducit  
Iuppiter, idem

134

5 Summovet. Non, si male nunc, et olim  
Sic erit: quondam cithara tacentem  
Suscitat Musam neque semper arcum  
Tendit Apollo.

6 Rebus angustis animosus atque  
Fortis appare; sapienter idem  
Contrahes vento nimium secundo  
Turgida vela.

(II. 10.)

LYDIA, DIC.

- 135 1 Lydia, dic, per omnes  
Te deos oro, Sybarin cur properes amando  
Perdere; cur apricum  
Oderit campum patiens pulveris atque solis?
- 2 Cur neque militares  
Inter aequales equitat, Gallica nec lupatis  
Temperat ora frenis?  
Cur timet flavum Tiberim tangere? Cur olivum
- 3 Sanguine viperino  
Cautius vitat neque iam livida gestat armis  
Bracchia saepe disco,  
Saepe trans finem iaculo nobilis expedito?
- 4 Quid latet, ut marinae  
Filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae  
Funera, ne virilis  
Cultus in caedem et Lycias proriperet catervas?

(I. 8.)

1 Diffugere nives, redeunt iam gramina campis  
Arboribusque comae;

Mutat terra vices et decrescentia ripas  
Flumina praetereunt;

2 Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet  
Ducere nuda choros.

Immortalia ne speres, monet annus et alnum  
Quae rapit hora diem.

3 Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas  
Interitura, simul

Pomifer autumnus fruges effuderit, et mox  
Bruma recurrit iners.

4 Damna tamen celeres reparant caelestia lunae;  
Nos, ubi decidimus,

Quo pater Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,  
Pulvis et umbra sumus.

5 Quis scit, an adiciant hodiernae crastina summae  
Tempora di superi?

Cuncta manus avidas fugient heredis, amico  
Quae dederis animo.

6 Cum semel occideris et de te splendida Minos  
Fecerit arbitria,

Non, Torquate, genus, non te facundia, non te  
Restituet pietas:

7 Infernis neque enim tenebris Diana pudicum  
Liberat Hippolytum

Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro  
Vincula Pirithoo.

(IV. 7.)

QUID DEDICATUM.

137

- 1 Quid dedicatum poscit Apollinem  
Vates? Quid orat de patera novum  
Fundens liquorem? Non opimae  
Sardiniae segetes feraces,
- 2 Non aestuosae grata Calabriae  
Armenta, non aurum aut ebur Indicum,  
Non rura, quae Liris quieta  
Mordet aqua taciturnus amnis.
- 3 Premant Calenam falce, quibus dedit  
Fortuna vitem, dives et aureis  
Mercator exsiccet culullis  
Vina Syra reparata merce,
- 4 Dis carus ipsis, quippe ter et quater  
Anno revisens aequor Atlanticum  
Impune. Me pascunt olivae,  
Me cichorea levesque malvae.
- 5 Frui paratis et valido mihi,  
Latoë, dones ac, precor, integra  
Cum mente nec turpem senectam  
Degere nec cithara carentem.

(I. 31.)

MISERARUM EST.

138

<sup>1</sup> Miserarum est neque amanti dare ludum neque dulci  
mala vino lavere aut exanimari metuentes  
patruae verbera linguae.

<sup>2</sup> Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas  
operosaeque Minervae studium aufert, Neobule,  
Liparaei nitor Hebri,

<sup>3</sup> Simul unctos Tiberinis umeros lavit in undis;  
eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno  
neque segni pede victus,

<sup>4</sup> Catus idem per apertum fugientes agitato  
grege cervos iaculari et celer arto latitantem  
fruticeto excipere aprum.

(III. 12.)

QUO, QUO SCELESTI.

139

1 Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris  
Aptantur enses conditi?  
Parumne campis atque Neptuno super  
Fusum est Latini sanguinis,  
5 Non ut superbas invidae Karthaginis  
Romanus arces ureret,  
Intactus aut Britannus ut descenderet  
Sacra catenatus via,  
Sed ut secundum vota Parthorum sua  
10 Urbs haec periret dextera?  
Neque hic lupis mos nec fuit lionibus.  
Umquam nisi in dispar feris.  
Furorne caecos an rapit vis acrior  
An culpa? Responsum date!  
15 Tacent et albus ora pallor inficit  
Mentesque percussae stupent.  
Sic est: acerba fata Romanos agunt  
Scelusque fraternae necis,  
Ut immerentis fluxit in terram Remi  
20 Sacer nepotibus cruor.

(Epod. 7.)

PROVERBIA QUAEDAM ET DICTA

## PROVERBIA QUaedam ET Dicta.

### I.

- 1 Non scholae, sed vitae discimus. (Seneca.) 140  
2 Fas est et ab hoste doceri. (Ovidius.)  
3 Docendo discitur.  
4 Usus magister est optimus.  
5 Longum iter est per praecepta, breve et efficax per exempla.  
(Seneca.)

### II.

- 6 Dimidium facti, qui coepit, habet. (Horatius.)  
7 Potius sero quam numquam. (Livius.)  
8 Ut sementem feceris, ita metes.  
9 Quale principium, talis et clausula.  
10 Finis coronat opus.

### III.

- 11 Sic itur ad astra. (Vergilius.)  
12 Non est ad astra mollis e terris via. (Seneca.)  
13 Per aspera ad astra.  
14 Res severa est verum gaudium. (Seneca.)  
15 Iucundi acti labores.

### IV.

- 16 Multum, non multa.  
17 Superflua non nocent.  
18 Non omnia possumus omnes. (Lucilius.)  
19 Nemo ultra posse obligatur.  
20 In magnis et voluisse sat est. (Propertius.)

## V.

- 21 Faber est suae quisque fortunae.  
22 Sapiens ipse fingit fortunam sibi. (Plautus.)  
23 Stultum facit fortuna, quem vult perdere.  
24 Quo minora cupies, eo felicior eris.  
25 Eo maiora cupimus, quo maiora venerunt. (Seneca.)

## VI.

- 26 Nemo perpetuo in voluptatibus vivit.  
27 Nescis, quid vesper serus vehat. (Varro.)  
28 Dolor hic tibi proderit olim. (Ovidius.)  
29 Nondum omnium dierum sol occidit. (Livius.)  
30 Post nubila Phoebus.

## VII.

- 31 Dum spiro, spero.  
32 Fortiter in re, suaviter in modo.  
33 Trahit sua quemque voluptas. (Vergilius.)  
34 Variatio delectat.  
35 Consuetudo quasi altera natura. (Cicero.)

## VIII.

- 36 Mens sana in corpore sano. (Iuvenalis.)  
37 Nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit.  
(Seneca.)  
38 Ira furor brevis est. (Horatius.)  
39 Amantes amentes.  
40 Omnia vincit amor. (Vergilius.)

## IX.

- 41 Amicus certus in re incerta cernitur. (Ennius.)  
42 Amicus Plato, sed magis amicus veritas.  
43 Tunica propior palliost. (Plautus.)  
44 Sic flet heres, ut puella nupta viro.  
45 Viperam sub ala nutricare.

X.

- 46 Favete linguis! (Horatius.)  
47 Semel emissum volat irrevocabile verbum. (Horatius.)  
48 Fama crescit eundo.  
49 Calumniare audacter, semper aliquid haeret.  
50 Nomina sunt odiosa.

XI.

- 51 Sapienti sat est! (Plautus.)  
52 Ohe iam satis! (Plautus.)  
53 Qui tacet, consentire videtur.  
54 Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.  
55 O si tacuisses, philosophus mansisses!

XII.

- 56 Sine ira et studio. (Tacitus.)  
57 Cum grano salis.  
58 Nullum est iam dictum, quod non sit dictum prius. (Terentius.)  
59 Epistola non erubescit. (Cicero.)  
60 Nullus est liber tam malus, ut non aliqua parte prosit. (Plinius.)

XIII.

- 61 Quot homines, tot sententiae. (Terentius.)  
62 In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus autem caritas.  
63 De duobus malis minus.  
64 Male parta male dilabuntur.  
65 Concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur. (Sallustius.)

XIV.

- 66 Similis simili gaudet.  
67 Pares cum paribus facillime congregantur.  
68 Qualis rex, talis grex.  
69 Qualis dominus, talis servus. (Petronius Arbiter.)  
70 Facies non omnibus una nec diversa tamen. (Ovidius.)

## XV.

- 71 Duo cum idem faciunt, hoc licet impune facere huic, illi non licet. (Terentius.)  
72 Duo cum faciunt idem, non est idem.  
73 Aliis si licet, tibi non licet. (Terentius.)  
74 Quod licet Iovi, non licet bovi.  
75 Factum infectum fieri nequit.

## XVI.

- 76 Homo sum, humani nil a me alienum puto.  
77 Errare humanum est.  
78 Cuiusvis hominis est errare, nullius nisi insipientis in errore perseverare. (Cicero.)  
79 Video meliora proboque; deteriora sequor. (Ovidius.)  
80 Probitas laudatur et alget. (Iuvenalis.)

## XVII.

- 81 Manus manum lavat.  
82 Do, ut des.  
83 Ut salutas, ita salutaberis.  
84 Quanti quisque alios facit, tanti fit ab aliis.  
85 Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

## XVIII.

- 86 Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. (Horatius.)  
87 Excitare fluctus in simpulo.  
88 Qui asinum non potest, stratum caedit. (Petronius Arbiter.)  
89 Ex ungue leonem.  
90 Ne sutor supra crepidam!

## XIX.

- 91 Vita brevis, ars longa.  
92 Omnia mea mecum porto.  
93 Omnia praeclara rara.  
94 Ex nihilo nihil.  
95 Sic transit gloria mundi.

## XX.

- 96 Aurea mediocritas. (Horatius.)  
 97 Medio tutissimus ibis. (Ovidius.)  
 98 Festina lente!  
 99 Sero venientibus ossa.  
 100 Bis dat, qui cito dat.

## XXI.

- 101 Carpe diem! (Horatius.)  
 102 Dies diem docet.  
 103 Diem perdidit.  
 104 Memento mori.  
 105 De mortuis nil nisi bene.

## XXII.

- 106 Salus populi suprema lex. (Cicero.)  
 107 Volenti non fit iniuria.  
 108 Audiatur et altera pars.  
 109 Silent leges inter arma. (Cicero.)  
 110 Summum ius summa iniuria. (Cicero.)

## XXIII.

- 111 Si vis pacem, para bellum.  
 112 Vae victis!  
 113 Divide et impera!  
 114 Dulce et decorum est pro patria mori. (Horatius.)  
 115 Videant consules, ne quid res publica detrimenti capiat!

## XXIV.

- 116 Alea iacta est.  
 117 Aut Caesar aut nihil.  
 118 Veni, vidi, vici.  
 119 Panem et circenses.  
 120 Ave, Caesar, morituri te salutant!

## XXV.

- 121 Vox populi vox Dei.  
 122 Credo, quia absurdum.

- 123 Cogito, ergo sum. (Descartes.)  
124 Vanitas vanitatum et omnia vanitas.  
125 Sint ut sunt, aut non sint.

## XXVI.

- 126 Modus vivendi.  
127 Nolens volens.  
128 Ecce homo! (Pilatus.)  
129 O sancta simplicitas!  
130 O tempora! O mores! (Cicero.)

## XXVII.

- 131 Quidquid agis, prudenter agas et respice finem.  
132 Quo semel est imbuta recens, servavit odorem  
testa diu. (Horatius.)  
133 Audentes fortuna iuvat decoratque corona.  
134 Gutta cavat lapidem non vi, sed saepe cadendo.  
135 Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. (Ovidius.)

## XXVIII.

- 136 Ipse sibi nocet is, alium qui laedere quaerit.  
137 Conscia mens recti famae mendacia ridet.  
138 Vae tibi ridenti, quia mox post gaudia flebis.  
139 Incidis in Scyllam, cupiens vitare Charybdin.  
140 Gravior est solito post maxima nubila Phoebus,  
post inimicitias clarior est et amor.

## XXIX.


- 141 Quando conveniunt ancilla, Sybilla, Camilla,  
sermonem faciunt et ab hoc et ab hac et ab illa. (Taubmann.)  
142 Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsae. (Ovidius.)  
143 Et, quantum ira sinit, formosa. (Ovidius.)  
144 Tempora mutantur, nos et mutamur in illis.  
145 Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus. (Vergilius.)

XXX.

- <sup>146</sup> Tu ne cede malis, sed contra audentior ito! (Vergilius.)  
<sup>147</sup> Grata superveniet, quae non sperabitur hora.  
<sup>148</sup> Si rota defuerit, tu pede carpe viam.  
<sup>149</sup> Donec eris felix, multos numerabis amicos,  
tempora si fuerint nubila, solus eris. (Ovidius.)  
<sup>150</sup> Navita de ventis, de tauris narrat arator,  
enumerat miles vulnera, pastor oves.


# INDEX.

	Pagina
<b>1. C. Iulius Caesar.</b>	
Commentarii de bello Gallico:	
Liber I . . . . .	5
Liber IV . . . . .	32
Liber V . . . . .	40
Liber VI . . . . .	41
<b>2. P. Ovidius Naso.</b>	
Metamorphoses:	
Quattuor aetates . . . . .	51
Deucalion et Pyrrha . . . . .	53
Pyramus et Thisbe . . . . .	55
Niobe . . . . .	58
Ranae . . . . .	63
Philemon et Baucis . . . . .	65
Tristia:	
Cum subit illius tristissima noctis imago . . . . .	68
Ille ego qui fuerim . . . . .	71
<b>3. M. Tullius Cicero.</b>	
Oratio in Catilinam prima . . . . .	77
<b>4. P. Vergilius Maro.</b>	
Aeneis:	
Liber I . . . . .	91
Liber II . . . . .	100
Liber III . . . . .	103
Liber IV . . . . .	110
Liber V . . . . .	117
<b>5. Q. Horatius Flaccus.</b>	
Carmina:	
Exegi monumentum . . . . .	121
Quis desiderio . . . . .	122
O navis, referent . . . . .	123
Donec gratus eram tibi . . . . .	124
Tu ne quaesieris . . . . .	125
Rectius vives . . . . .	125
Lydia, dic . . . . .	126
Diffugere nives . . . . .	127
Quid dedicatum . . . . .	128
Miserarum est . . . . .	129
Quo, quo scelesti . . . . .	130
<b>6. Proverbia quaedam et dicta . . . . .</b>	
	133



# GALLIA CAESARIS AETATE.

1:7.500.000



0 20 40 60 80 100 150  
Milia passuum  
Leugae Gallicae

HISPANIA  
CITERIOR

Sinus  
Gallicus  
M.



